UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clvveri[i] Sicilia Antiqva

Clüver, Philipp

Lvgdvni Batavorvm, 1619

Cap. II. Aegesta sive Egesta; quae posteà Segesta. Segestanorum emporium. Aquae Segestanae; quae & Pincianae. Amnes, Scamander, Simonis, Thermessus, Porpax, Crimisus, Bathys, sive Jatis. Opida, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14145

Visual Library

πολλοῖς ἔπεσιν ὕστερον, πάλιν τῶν νήσων ἐξερημωμένων ἀεὶ καὶ μᾶλλον, Κνιδιοί τινες καὶ Ῥόδιοι δυσαρεστήσαντες τῇ βαρύτητι τῶν κατ' Ἀσίαν βασιλέων, ἔγνωσαν ἀποικίαν ἐκπέμπειν. διόπερ προσηκάμενοι σφῶν αὐτῶν ἡγεμόνα Πένταθλον τὸν Κνίδιον, καθ' ὃν πεντηκοστῷ, πλεύσαντες εἰς τὴν κατὰ Λιλυβαῖον τόπους, κατέλαβον Αἰγεσταίους. Σελινουντίοις δὲ πολεμοῦσι πρὸς ἀλλήλους. πεσόντες δὲ τοῖς Σελινουντίοις συμμαχεῖν, πολλοὺς ἀπέβαλον καθ' ὃν μάχην, ἐν οἷς καὶ αὐτὸς ὁ Πένταθλος. διόπερ οἱ περιλειφθέντες, ἐπειδὴ καὶ πολεμηθῆναι οἱ Σελινούντιοι, διέγνωσαν ἀπιέναι πάλιν ἐπ' οἴκου. ἑλόμενοι δὲ ἡγεμόνας τοὺς οἰκείους Γοργον καὶ Θέστορα καὶ Ἐπιθερσίδην, ἀπέπλεον διὰ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους. προσπλεόντων δ' αὐτῶν τῇ Λιπάρᾳ, καὶ φιλοφρόνως ὑποδοχῆς τυχόντων, ἐπειάθησαν κοινῇ μετὰ τῶν ἐγχωρίων κατοικῆσαι τὴν Λιπάραν, ὄντων ἀπ' Αἰόλου πεπελαγισμένων ὡς πενταηκόσιον. Hoc est:

Multos post annos quum iterum magis magisq; à cultoribus insulæ destituerentur, accidit, ut Cnidiorum Rhodiorumq; nonnulli, asperitatem regum Asiaticorum pertæsi, coloniæ deducendæ consilium inirent. Creato igitur ad hoc duce Pentathlo Cnidio, in Siciliam transvecti, ad Lilybæi regionem adpulerunt, Olympiade L. Bellum tum fortè Aegestani ac Selinuntii inter se gerebant. In societatem igitur Selinuntiorum pellecti, multos in prælio, & inter hos Pentathlum ipsum, amiserunt. Victis itaque bello Selinuntiis, superstites domum reverti cogitabant. ducibusque è propinquis Pentathli, Gorgo ac Thestore & Epithersíde, delectis, per Tyrrhenum mare cursum instituebant. Ad Liparam ergo delati, quum perbenignè exciperentur, facilè, ut habitandi cum incolis, quorum vix IO *ab Aeolo superstites erant, societatem inirent, persuasi fuerunt.* Verùm in hunc modum licèt Diodorus ab antiquissimo scriptore Antiocho circa Cnidiorum coloniam discrepet; ex utriusque tamen narratione colligere datur, Olympiade L, id est, circa annum ante natum Iesum IO LXXX, Cnidios; Græcam ex Carià gentem, in Siciliâ apud Lilybæum promontorium condidisse urbem Motyam. quam mox, pulsis conditoribus, κοινῷ σόλῳ, id est, *communi ope atque expeditione* occuparunt & ζωόκισαν, id est, *unà incoluerunt* Phœnices cum Carthaginiensibus. qua de re plura nobis dicta sunt prioris voluminis dicto cap. II. Cæterò jam nullam exstitisse Diodori ætate Motyam, ex præteriti temporis verbis, ὦν & εἶχε, quibus in præscriptâ narratione lib. XIIII utitur, liquidò adparet. Quando & quo casu tandem omnis esse desierit, nullibi adnotatum reperio. Propinqui tamen opidi Lilybæi originem atque incrementum illius interitum fuisse, haud obscurè ostendit idem Diodorus lib. XXII. sic quidpe Eclogæ legationum ex eo libro habent: ὁ δὲ Πύρρος πάσης τῆς Καρχηδόνος ἐπεκράτησε δυνάμεως, ἐκ κύκλου ἐγίνετο, πλὴν τοῦ Λιλυβαίου. αὕτη γὰρ ἡ πόλις ὑπὸ Καρχηδονίων ἐκτίσθη, μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς Καρχηδονίων Μοτύης ὑπὸ Διονυσίου τοῦ τυράννου. τοὺς γὰρ ἐκ ταύτης ὑπολειφθέντας ἀθροίσαντες, κατῴκισαν εἰς τὸ Λιλυβαῖον. Hoc est: *Pyrrhus omnem Carthaginiensium ditionem suæ potestatis & juris fecit, præter Lilybæum. hæc quidpe urbs à Carthaginiensibus fuit condita, postquàm Dionysius tyrannus Motyam Carthaginiensium expugnaverat. congregatos namque, quos ex illâ reliquos fecerat excidium, Lilybæi locaverunt.* Sed hactenus de Motya antiquissimâ urbe satis.

CAP. II.

Aegesta sive Egesta urbs; quæ posteà Segesta. Segestanorum emporium. Aquæ Segestanæ; quæ & Pincianæ. Amnes, Scamander, Simois, Thermessus, Porpax, Crimisus, Bathis, sive Iatis. opida, Parthenicum, Cetaria, Hyccara. Aquæ Perticianenses.

VLtra Drepana & Erycem fuit antiqua in primis celebrisque ac potens urbs, Ἔγεστα & Αἴγεστα dicta; id est, EGESTA atque AEGESTA: eadem nonnullis ACESTA, & Latinis tantùm auctoribus SEGESTA vocitata. Αἴγεστα dicta fuit pleriisque scriptoribus Græcis: ex quorum numero sunt Lycophron, Dionysius Halicarnassensis, Diodorus, Strabo. sed antiquior formatio fuisse videtur Ἔγεστα: quod Thucydides, Plinius atque Stephanus nummusque antiquus referunt. ex quo posteriori tempore Romanis formatum *Segesta*. Opidani inde sunt Thucydidi, Stephano, ac nummo Ἐγεσταῖοι, *Egestæi*: id est, si Romano ore formes, EGESTANI: unde Diodoro etiam lib. IIII sunt Ἐγεσταῖα λουτρὰ, id est, *Egestæa* sive *Egestana balnea*. Reliquis Græcis auctoribus, Herodoto, Phalaridi, Diodoro, Aeliano, Polyæno, & aliis, sunt Αἰγεσταῖοι, *Aegestæi*; id est, Latino ori AEGESTANI. Straboni tamen lib. VI est Αἰγεστῶν ἐμπόριον, id est, si Latinè formes, AEGESTENSIVM *emporium*. *sive* EGESTA *urbs; quæ* *posteà* SEGESTA.

emporium. Apud unum equidem Ciceronem in Verrinâ III sunt SEGESTENES, at eidem in eâdem actione anteà ac posteà, item action. II, IIII, & V, constanter dicuntur SEGESTANI: ut & Plinio lib. III, cap. VIII, & Tacito Annaliùm lib. IIII, ac Solino cap. XI. unde etiam Ptolemæo, qui in Romanorum provinciis Latinis ut plurimum utitur formationibus, Σεγεστινῶν est ἐμπόριον, id est, *Segestanorum emporium.* Plinio, eodem loco, Græcâ formatione dicuntur *Acestæi:* qui Pomp. Sabino, ad Aeneid. lib. I Latinè ACESTANI; ab opidi scilicet nomine, quod *Acesta* formatur Virgilio Aeneid. lib. V. & Silio lib. XIIII. Verùm variatio hæc vocabuli tam multiplex ex ipsius conditoris nomine multifariam variato originem habuit. nam *Aceste* dicitur Virgilio Aeneid. lib. I & V, ac Silio, dicto lib. XIIII; Αἰγέστης, *Aegestes*, Isacio Tzetzæ ad Lycophronem; & Αἴγεστος, *Aegestus*, Dionysio lib. I; Ἔγεστος, *Egestus*, sive Ἐγέστης, *Egestes*, Stephano. Ab huius vocabulo dicta urbs *Egesta* quomodò tandem vocata sit Latinis *Segesta*, ostendit Pompeius Festus. *Segesta*, inquit, *quæ nunc adpellatur, opidum in Siciliâ est. quod videtur* [fortè, *creditur*] *Aeneas condidisse, præposito ibi Egesto; qui eam Egestam nominavit. sed præposita est ei S Litera, ne obsceno nomine adpellaretur: ut factum est in Malevento; quod Beneventum dictum est: & in Epidamno; quod usurparunt Dyrrachium.* Stephani epitomator: Ἔγεστα, πόλις Σικελίας, ἀπὸ Ἐγέστου τοῦ Τρωός. id est: *Egesta; urbs Siciliæ, ab Egesto Troiano dicta.* De ipsa Egesto sive Aceste Virgilius, Aeneid. lib. V: ubi, quum Palinurus gubernator Aeneæ svaderet, quia per tempestatem Italiam ab Africæ litore petere non liceret, uti Siciliam & Drepanum portum repeteret; respondet

Tum pius Aeneas; Equidem sic poscere ventos
Iam dudum, & frustra, cerno, te tendere contrà.
Flectе viam velis. an sit mihi gratior ulla,
Quóque magis fessas optem dimittere naveis,
Quàm quæ Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisæ gremio complectitur ossa?
Hæc ubi dicta, petunt portus: & vela secundi
Intendunt zephyri. fertur cita gurgite classis:
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.
At, procul excelso miratus vertice montis
Adventum sociasque rateis, occurrit Acestes:
Troia Crimiso conceptum flumine mater
Quem genuit.

At de urbibus ab Aceste in Siciliâ conditis ita Aeneid. lib. I Didonem adloquitur Ilioneus, unus ex Aeneæ sociis:

—— *Sunt & Siculis regionibus urbes,*
Armaque, Troianoque à sanguine clarus Acestes.

Ad hæc posteriora ita commentatur Servius: *De Aceste fabula talis est: Quum Laomedon promissam murorum mercedem Neptuno & Apollini denegasset: Neptunus iratus, Troiæ immisit cetos, qui eam vastarent. unde Apollo consultus, quum & ipse irasceretur, magis adversa respondit; dicens, objiciendas puellas nobileis belluæ. quod quum sæpe fieret, timens quidam nobilis Hippotes filiæ suæ Egestæ, quum Laomedontis regis filia Hesiona jam esset, ortâ seditione, monstro exposita; impositam eam navi, misit quò fors tulisset. Hæc ad Siciliam delata, à Crimiso fluvio, quem Crinisum Virgilius poëticâ licentiâ vocat, converso in ursum, vel, ut alii, in canem, compressa, edidit Egestum, quem Virgilius Acesten vocat: qui ex matris nomine civitatem Troianis condidit, quæ antè Egesta, post Segesta dicta est.* Ad illa verò libri V sic scribit: *Vt suprà diximus, Hippotes filiam suam Egestam, ne ad cetos religaretur, superposuit naviculæ, & misit, quò fors tulisset. Qua delatâ ad Siciliam, Crimnisus* [alia exemplaria, *Crinisus*] *fluvius concubuit cum eâ, conversus in canem. unde Acestes natus, vel, ut quibusdam videtur, Agestes. Huius rei ut esset indicium,* [insere loco lacunoso, *nummum,*] *effigie canis percussum Siculi habuerunt. Alii dicunt, Laomedontem, regem Troianorum, quum graviter cives eius ab ceto, id est belluâ marinâ, infestarentur, propterea quòd mercedem Neptuno ob fabricatos muros negasset; ad templum Iovis Ammonis scitatum misisse de mali remedio vel fine. cui quum esset responsum, ut filiam suam Hesionam belluæ offerret; & hoc à civibus facere cogeretur: fore respondit, si antè eorum filias belluæ objecisset. quo facto quum plures puellæ à ceto absumtæ essent; plerique parentes filias in longinqua miserunt. ex quibus una Troiana, nomine*

mine Silvia Aegesta, delata in Siciliam est, & à Crimiso, sicut dictum est, compressa, edidit Acesten. Alii dicunt, Laomedontem, quum, sicut narratum est, propter filiam suam seditionem à civibus pertulisset, unum de Troianis, auctorem seditionis, occidisse; filiasque eius mercatoribus exponendas dedisse: à quibus illae in Siciliâ prope Crinisum amnem relictae sunt. quarum ille unam, in canem conversus, compressit. Ad librum primum ita quoque Pompon. Sabinus: *Neptunus, Troianis iratus, misit monstrum: quod sibi poscebat per sortem dari cibum humanum. Hippotes, nobilis Troianus, cum filiâ Egestâ aufugit, & in Siciliam navigavit. Ex hac puellâ & Crimiso fluvio natus Aceste; qui in insulâ imperavit: à quo Aceslani populi dicti.* Et in librum v: *Aegesta filia fuit Hippotae Troiani. quae posita à patre in naviculâ fuit, ut ferretur, quò fors impelleret. In Siciliam ergo delata, Crimniso regi nupsit; qui amni nomen dedit. ex eo peperit Acesten.* De eâdem re ita Lycophron in Alexandrâ.

Ἄλλοι δ' ἐνοικήσουσι Σικανῶν χθόνα,
Πλαγκτοὶ μολόντες, ἔνθα Λαομέδων τρισσὰς
Ναύπλιος ἔδωκε Φοινοδάμαντος κόρας,
Ταῖς κηδόπλοις συμφοραῖς δεδηγμένῳ,
Τηλοῦ πεσθεῖναι θηρσὶν ὠμηστοῖς βορὰν,
Μολόντας εἰς γλῶν ἕσπερον Λαιστρυγόνων,
Ὅπου ζωοικεῖ δαψιλὴς ἐρημία.
Αἱ δ' αὖ παλαιοῦ μητέρ' Ζηρυνθίας
Σηκὸν μέγαν δείμαντο δωτίνην θεᾶς,
Μόρον φυλάξαι καὶ μονοικήτους ἕδρας.
Ὧν δὴ μίαν Κρίμισσος, ἐνδαλθεὶς κυνὶ,
Εὐζύξε λέκτροις πλησμός. ἡ δὲ δαίμονι
Τῷ θρομίκλῳ σκύλακα θρῳσκον· τέκνοι
Τριττῶν ζωοικιστῆρα κἀκτίσλου τόπων.
Ὃς δὴ πόδηγῶν πόρθμον Ἀγχίσου νόθον
Ἄξει τρίδειρον νῆσον εἰς λῆξιν λαῶν
Τῶν Δαρδανείων ἐκ τόπων ναυβλήμονων.
Αἰαῖ τλήμον· σοὶ δὲ δαιμόνων φραδαῖς
Πένθος μέγιστον, καὶ δι' αἰῶνος πότμος
Ἕξει, πρὸς ῥιπαῖσιν ἡλωμένης.

Hoc est:

Alii Sicanorum inhabitabunt terram,
Errones eò delati; ubi treis Laomedon
Nautis dedit Phœnodamantis filias,
Balænam pascentibus stimulatus cladibus,
Procul exponendas feris crudelibus,
Progressas in occidentalem Læstrygonum terram;
Vbi larga visitur solitudo.
Illæ porrò matri luctatoris Zerynthiæ
Templum exstruxêre magnum, donum deæ,
Mortem quum effugissent, & sedeis solitarias.
Harum unam Crimissus, adsimilatus cani,
Lecto junxit fluvius. cui illa genio
Semifero generosum parit catulum,
Trium fundatorem & conditorem locorum.
Qui germen Anchisæ manu ducens spurium,
In insulam deducet tricollem margineam,
Dardaniis ex locis navi advectum.
O misera Aegesta! cui deorum decretis
Luctus erit maximus & perpetuus,
Ob patriam ignis jactibus combustam.

Ad hæc ita Tzetzes: Φοινοδάμας τὰς Τρωὸς ζωεδάλυσε τοῖς Τρωσὶν ἐκθεῖναι τ' Ἡσιόνῃ τῷ κήτει, ὃν λαβόμβος πρὸ τ' θυγατέρων αὐτ' τ' τριῶν, μὴ αὐτὰς ἐκθῶσι· ἐ ἔπεσε τὸ πεπιημένον. ὁ δ' Λαομέδων, μισῶν τῷ Φοινοδάμαντι, ἔδωκε τὰς θυγατέρας ἐκείνῳ ναύπλῳ ἐν Σικελίᾳ, θηρίοις βορὰν. ἐ ὠμομήν. κ' γνώμην Ἀφροδίτης ἐσώθησαν. ὧν τῇ μιᾷ κυνὶ ὁμιλωθεὶς ὁ Κρίμισσος πόταμος ἐμίγη· ἐ ἐγέννησε τ' Αἴγεστον, ὃς ἔκτισε τρεῖς πόλεις ἐν Σικελίᾳ, τ' ἀφ' ἑαυτ' Αἴγεστον, κ' Ἔρυκα, κ' Ἔντελλαν, ἢ Ἄπελλαν,

λαν, ἀπὸ γυναικὸς, ᾗ ὄνομα· Στύλλα γὰρ ὠνομάζετο ἡ τότε γυνή. Ὁ δὲ Αἰγέστης, ἐλθὼν εἰς Δαρδανίαν, νόθον Ἀγχίσου παῖδα, Ἔλυμον καλούμενον, ἤγαγεν εἰς Σικελίαν. Id est: *Phœnodamas quidam Troianus svasit Troianis, Hesionen ceto uti exponerent; metuens tribus filiabus suis, ne eas exponerent: persvasitque, uti id facerent. At Laomedon, iratus Phœnodamanti, nautis Sicilien-sibus dedit filias illius, feris pabulum objiciendas. Hæ in Siciliam delatæ, Veneris ope servatæ sunt. Quarum unam Crimissus amnis, cani similis factus, compressit: progenuitque ex eâ Aegestem: qui treis in Siciliâ condidit urbeis; unam, quam ab nomine suo dixit Aegestam; alteram, Erycem: tertiam Entallam, sive Atallam, ex uxoris nomine dictam. quidpe Stylla vocabatur uxor eius, quam duxerat. Cæterùm in Dardaniam profectus Aegestes, spurium Anchisæ filium, nomine Elymum, deduxit in Siciliam.* Pro vitiato vocabulo Στύλλα legendum Αἴθυλλα, ipse satis convincit Tzetzes, anteà ita scribens: Ναύαθος πόλις ἐστὶν Ἰταλίας. ἐκλήθη δὲ οὕτω, καθὼς μὲν Ἀπολλόδωρος ὁ λοιπὸς, ὅτι μὴ πάντων Ἰλίου ἄλωσιν αἱ Λαομέδοντος θυγατέρες, Πρίαμου δὲ ἀδελφαὶ, Αἴθυλλα, Ἀστύοχη, Μηδεσικάστη, μετὰ τῶν λοιπῶν αἰχμαλώτων ἐκεῖσε γενόμεναι τῆς Ἰταλίας, φλαβέντα τὸν Ἑλλάδος δουλείαν, τὰ σκάφη ἐνέπρησαν. Hoc est: *Nauæthus Italiæ est fluvius: sic dictus, ut auctor est Apollodorus & reliqui, quòd, Ilio capto, Laomedontis filiæ, Priami sorores, Aethylla, Astyoche, & Medicastæ, cum cæteris captivis hoc Italiæ tractu exsistentes, quum servitudinem Græciæ formidarent & effugere cuperent, naveis incenderunt.* Immane certè dictu, in quantum auctores isti super antiquissimis Troiæ sive rebus gestis sive fabulis inter se ubique discrepent. Vnus hic noster Isacius Tzetzes, quum tam disertis heic verbis Aethyllam fecerit unam è tribus filiabus Laomedontis; cui tamen posteà cum reliquis auctoribus unam adscribit, ut suprà citatum, solam Hesionen: postmodò eamdem Aethyllam Aegestæ adpellat uxorem. quamquàm etiam anteà Aethyllam, Laomedontis filiam, simul cum reliquis duabus sororibus in Italiâ mansisse dicat. Elymum Virgilius Sicanum facit eodem Aeneid. lib. v, his versibus:

Vndique conveniunt Teucri mistique Sicani.
Nisus & Euryalus primi.
Euryalus formâ insignis, viridiq; juventâ;
Nisus amore pio pueri. quos deinde secuntus
Regius egregiâ Priami de stirpe Diores.
Hunc Salius simul & Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadiâ, Tegeæ de sangvine gentis.
Tum duo Trinacrii juvenes, Elymus Panopesque;
Adsveti silvis, comites senioris Acestæ.

Ad quæ ita Servius: *Ecce, uti subtiliter Elymum cum Aceste ad Siciliam dicit venisse, quum ait; Comites senioris Acestæ.* Verùm haud satis subtiliter heic poëtæ interpretatus mihi videtur mentem Servius. namque comes etiam in ipsâ demum insulâ Acestæ poterat esse factus Elymus. Virgilius autem disertè & Elymum & Panopen *Trinacrios* atque *Sicanos* adpellat. Idem Servius anteà, ubi prima Elymi ab Virgilio fit mentio: *Elymus princeps Troianorum; qui dicitur in Siciliâ condidisse civitateis Ascam, Entellam, Egestam. Alii dicunt, eum post incensum Ilium cum Aceste in Siciliam venisse; eique participem fuisse. Alii Anchisæ nothum filium tradunt fuisse Elymum regem, in Siciliâ genitum, & Erycis fratrem.* Et Pompon. Sabinus: *Troianus Elymus usque in Siciliam navigavit: ubi sex urbeis condidit.* Haud dubium, quin pro *sex* legendum *treis*; ut reliqui suprà citati habent auctores. ex III facilè fieri potuit V I, incuriâ exscriptoris. Porrò Silius lib. XIIII:

Miscuerunt Phrygiam prolem Troianus Acestes
Troianusq; Elymus; structis qui, pube secutâ,
In longum ex sese donarunt nomina muris.

Et posteà:

Venit, ab amne trahens nomen, Gela; venit Alæsa;
Et qui præsenti domitant perjura Palici
Pectora supplicio; Troianaq; venit Acesta.

Strabo lib. XIII: Σοφοκλῆς γοῦν, ἐν τῇ Ἀλώσει τῆς Ἰλίου, τὸν Αἰνείαν φησὶ μετ' Ἀγχίσου καὶ παιδὸς Ἀσκανίου λαὸν ἀθροίσαντα πλεῦσαι. καὶ οἱ μὲν οἰκῆσαι φασὶ τὸν Μακεδονικὸν Ὄλυμπον φασιν. οἱ δὲ περὶ Μαιάνειαν τῆς Ἀρκαδίας κλίσαι Καπύας, ἀπὸ Κάπυος θέμενον τοὔνομα τῷ πολίσματι· οἱ δ' εἰς Αἴγεστον καταφέρειν τὸν Σικελίας σὺν Ἔλύμῳ Τρωὶ, καὶ Ἔρυκα καὶ Λιλυβαῖον καταλαχεῖν, καὶ πολλοὺς

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

πομὲς πρὶ Αἴγεσιν προσαγορεῦσαι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα· ἔνθεν δ' εἰς τ Λατίνιον ἐλθόντα μεῖναι. Hoc est: *Sophocles, in Excidio Ilii, Aeneam ait cum Anchisâ patre & Ascanio filio, hominum collectâ multitudine, abnavigasse. Alii, eum sedem posuisse, tradunt, apud Olympum Macedoniæ: alii, apud Mantineam Arcadiæ condidisse Capuas; nomine opido à Capy indito: alii, ad Aegestam Siciliæ cum Elymo Troiano trajecisse; & occupasse Erycem Lilybæumque; fluviosque circa Aegestam denominasse Scamandrum & Simoentem. inde in Latium venisse; ibique consedisse.* Heic ne mentio quidem fit Aegestis. quem tamen lib. VI à Philoctete ex Italiâ cum quadam manu ad condendam Aegestam missum, tradit; ut mox infrà videbimus. Sed veri paullo similiora de hoc Aegeste sive Aegesto adferre videtur gravis in primis rerum scriptor Dionysius Halicarnassensis lib. I, ubi de Aeneæ erroribus agit. Γενόμενοι δὲ, inquit, κατὰ Σικελίαν, καταγόντων τῆς νήσου πρὸς τὰ καλούμενα Δρέπανα. ἔνθα προσπεσόντες τοῖς σὺν Ἐλύμῳ καὶ Αἰγέστῃ, προεξελθοῦσιν ἐκ τ Τροίας, οἱ ὤκησαν πρὸς πολίχνῃ Κέμμισον, ἐν γῇ Σικανῶν, παρὰ φιλίαν λαβόντες παρ' αὐτῶν τὸ χωρίον, διὰ τὴν Αἰγέστου συγγένειαν, γεγονότα τινὶ τ τραφέντι ἐν Σικελίᾳ κατὰ τοιόνδε τὸ πάθος· τῶν προγόνων αὐτοῦ τις αὐτῆς ὁπιφανὴς, ἐκ δὲ Τρωϊκῆς γένους ὤν, Λαομέδοντι διαφόρου γενομένου, καὶ αὐτὸν ὁ βασιλεὺς, ἐπ' αἰτίᾳ δή τινι λαβὼν, κτεῖναι, καὶ γένος αὐτοῦ τὸ ἄρρεν ἅπαν, ὑπὸ δέους, μή τι παρὰ πάθη· τὰς δὲ θυγατέρας, παρθένους ἔτι οὔσας, ἀποκτεῖναι μὲν οὐκ ὠμὸν ἐνόμισε, Τρωσὶ δὲ ζωοικέσιος πρέπειν οὐκ ἀσφαλὲς, δίδωσι δ' αὐτὰς ἐμπόροις, ὡς πρόσω τάχιστα κελεύσας ἀπάγειν. Ταύτης ἀπέφυγεν ζωγενεᾶς μεῖραξίον τι τῶν ὁπιφανῶν, κρατύμορον ἔρωτι τ ἑτέρας· καὶ γαμεῖ τὸν παῖδα τὸν ἀχθέντων εἰς Σικελίαν. καὶ γίνεται αὐτῆς παῖς ἐν Σικελοῖς Δημητρίου, Αἴγεστος ὄνομα· ὃς ἔθη καὶ γλῶσσαν τὴν τ ὁπιχωρίων ἐκμαθὼν, ἐπιδὴ σὺν γόνοις αὐτοῦ πλουτήσαι ζωΐδιον, βασιλεύοντος ἐν Τροίᾳ Πριάμου, καθῆκον αὐτῷ δοκῆναι διαπερᾶσαι. καὶ ζωοδιενέγκας τὸν πρὸς τοὺς Ἀχαιοὺς πόλεμον, ἀλισκομένης τ πόλεως, ἐπέπλει πάλιν εἰς Σικελίαν, ζωὸ Ἐλύμῳ συναμφοτέρῳ τῷ Φυγέως. Ἐντυχὼν δὲ τοῖς εἰρημένοις Αἰνείου ἀνδράσι, φιλοφρονεῖται αὐτοὺς, καὶ καταγαλάζεται αὐτοῖς πόλεις Αἴγεσταν καὶ Ἔρυκα· καί τινα καὶ μοῖραν τῆς ἑαυτοῦ στρατιᾶς ἐν τοῖς πλίσμασιν ἀπολείπεται· ὡς μὲν ἐγὼ εἰκάζω, γνώμῃ ἐκουσίῳ χρησάμενος, ἵνα τοῖς ἀπὸ καμάτων βαρυνομένοις ἢ καὶ ἄλλως θαλάττῃ ἀχθομένοις ἀναπαύσεις γίνοιντο καὶ καταγωγαὶ ἀσφαλεῖς· ὡς δέ τινες γράφουσι, ξ ναυλικῷ μειωθέντος αὐτοῦ, διὰ τὸν ἔμπεζιν, ἵν' ἐποιήσαντο τῶν γυναικῶν λύσεις, ἀχθόμεναι τῇ πλάνῃ, τὸν σὺν ἑτέροις δυναμένων συμπλεῖν ὄχλον ἐκ τῶν κατακεκαυμένων νεῶν, αἰάγκῃ καταλιπόν. Hoc est: *In Siciliam ubi ventum est, adpulerunt ad eam insulæ partem, ubi sunt Drepana. Heic fortefortunà incidunt in eos, qui, cum Elymo atque Aegesto priores à Troiâ profecti, habitabant circa Crimisum amnem: à Sicanis in partem agrorum admissi, propter Aegesti cognationem & amicitiam; qui casu huiusmodi in eâ insulâ natus & educatus fuerat: Regnante scilicet Laomedonte, quidam ex illius maioribus, vir è Troicâ stirpe nobilis, orto inter ipsum & regem dissidio, à rege ob crimen nescio quod comprehensus ac necatus fuerat; & cum eo omnes virilis sexus liberi: ne quis ultor injuriæ aliquando exsisteret. filias verò, adhuc virgines, occidere indignum ratus, nec tamen tutum eas elocari Troianis civibus, dedit negotiatoribus, cum mandatis, uti absportarentur in terras longinquissimas. Has abeunteis adolescens quidam, nobili genere natus, alterius amore captus, in eâdem navi comitatur. puellamque, advectam in Siciliam, duxit conjugem. Ex his parentibus apud Siculos Aegestus est genitus. Qui linguam & mores incolarum edoctus, post obitum parentum à Priamo rege impetravit reditum in pristinam patriam. Et quum toleravisset cum reliquis Troianis bellum Achaicum; quo tempore hostes urbe potiti sunt, navigavit rursum in Siciliam, fugæ socio adsumto Elymo. In hos tandem viros postquàm Aeneas incidit: complexus eos est comiter. conditisque in eorum gratiam Aegestâ & Eryce opidis: exercitus sui partem in iis reliquit; quantum ego conjecturâ possum colligere, suâ sponte: ut labore, aut certè marinis jactationibus fessi loco tuto quiescerent. tametsi quidam scribunt, detrimentum classis ibi acceptum; aliquot navibus feminarum operâ ob diturnum errorum tædium incensis: atque ita coactum necessitate Aeneam reliquisse turbam, quam post exustas suas reliquæ naves capere non poterant.* Strabonis huc rectè convenerint verba, lib. VI in hunc modum perscripta: Καὶ τὸ τῶν Τρωάδων δὲ τόλμημα φέρεται πολλαχῆ, καὶ ἄπιστον φαίνεται, καίπερ δυνατὸν ὄν. Id est: *Et facinus Troianarum mulierum quum pluribus adscribatur locis, fides ei derogatur; quum fieri tamen potuerit.* Idem auctor eodem libro anteà: Φιλοκτήτου δ' ἐστὶ καὶ ἡ παλαιὰ Κρέμισα. Ἀπολλόδωρος δ' ἐν τοῖς περὶ νεῶν, ξ Φιλοκτήτου μνησθεὶς, λέγειν φησίν, ὡς εἰς τὴν Κροτωνιάτην ἀφικόμενον, Κρέμισαν ἄνδρα οἰκῆσαι, καὶ χώραν πόλιν ἀπ' αὐτῆς, ἀφ' ἧς οἱ ταύτην χῶρες ἐκλήθησαν. περὶ αὐτοῦ δὲ τινες σκέπτεις εἰς Σικελίαν περὶ Ἔρυκα μετ' Αἰγέστου ξ Τρῶας, Αἴγεσταν τεῖχσαι. Id est: *Philoctetis opus est & vetus Crimisa. Apollodorus in commentario de navibus, factâ Philoctetis mentione, quosdam ait dicere, eum, quum in Crotoniensem pervenisset agrum,*

Crimisam promontorium inhabitasse, & super id Chonen opidum: unde Chonibus hoc tractus nomen. missos item ab eo quosdam in Siciliam, ad loca circa Erycem cum Aegesto Troiano, Aegestam communiviße. Et infrà, in descriptione Siciliæ: τῶ δὲ Αἰγέσταν κλυδωνῶαί φασιν ὑπὸ τ μὴ φιλοκτήτ ἀλεβάντων εἰς τὼ Κροτωνιᾶτην, καθάπερ ἐν τῆς Ἰταλικοῆς εἴρηται, παρ' αὐτ ἐμβαλέντων εἰς τὼ Σικελίαν μετὰ Αἰγέστ & Τρωός. Hoc est: *Aegestam conditam ferunt ab iis, qui cum Philoctete in Crotoniensem agrum escenderunt, sicut in Italiæ descriptione dictum est, missis ab eos in Siciliam cum Aegesto Troiano.* Dionysio tamen adsentiuntur plerique Romani scriptores, qui originem Aegestanæ urbis scriptis adnotarunt. Cicero in Verrinâ IIII: *Segesta est opidum pervetus in Siciliâ: quod ab Aeneâ, fugiente à Troiâ, atque in hæc loca veniente, conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solùm perpetuâ societate atque amicitiâ, verùm etiam cognatione se cum populo Romano conjunctos esse arbitrantur.* Huc tendit & illud Taciti, in Annal. lib. IIII: *Et Segestani ædem Veneris, montem apud Erycem, vetustate delapsam, restaurari postulavêre; nota memorantes de origine eius, & læta Tiberio.* Nempe, quòd ædes ea unà cum Aegestâ urbe, ut suprà ostensum, ab Aeneâ primùm condita esset. Virgilius, ut anteà citatum, Aeneid. lib. I, Ilioneum, unum è sociis Aeneæ, ita Didonem adloquentem introducit:

——— Sunt & Siculis regionibus urbes,
Armaque, Troianoque à sanguine clarus Aceſtes.

Segestam heic intellectam fuisse poëtæ, ipse docet commentator eius Servius. At hæc de Aceste, urbeque, sive urbibus ab eo in Siciliâ conditis, loquitur apud Didonem Ilioneus, antequàm Aeneas umquàm in insulam pervenerat. post interitum quidpe Didonis eò eum deducit poëta. Vehementer igitur oblivioſum sese prodidit Aeneid. lib. V posteà; ubi de adpulsu Aeneæ ad Siciliam in Drepanum portum tractat; & inter alia ita de navium combustione Aegestæ exstructione canit:

At procul in solâ secretæ Troades actâ
Amissum Anchisen flebant; cunctæque profundum
Pontum adspectabant flentes: Heu, tot vada fessis
Et tantùm supereſſe maris. vox omnibus una.
Vrbem orant: tædet pelagi perferre laborem.
. * . * . * .
Heic Erycis fines fraterni, atque hospes Aceſtes:
Quis prohibet muros jacere, & dare civibus urbem?
O patria, & rapti nequidquàm ex hoste penates!
Nulla ne jam Troiæ dicentur mœnia? nusquàm
Hectoreos amneis, Xanthum & Simoënta, videbo?
Quin agite, & mecum infaustas exurite puppeis.
. * . * . * .
Nuncius Anchisæ ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert naveis Eumelus.
. * . * . * .
——— Ruit æthere toto
Turbidus imber aquâ, densisque nigerrimus austris;
Implenturque super puppes: semusta madescunt
Robora: restinctus donec vapor omnis, & omnes,
Quattuor amissis, servatæ à peste carinæ.
. * . * .
Est tibi Dardanius divinæ stirpis Aceſtes:
Hunc cape consiliis socium & conjunge volentem.
Huic trade, amissis superant qui navibus, & quos
Pertæsum magni incepti rerumque tuarum est;
Longævosque senes, ac fessas æquore matres:
Et quidquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige; & his habeant terris, sine, mœnia fessi.
Vrbem adpellabunt permisso nomine Aceſtam.
. * . * . * .
Extemplò socios, primumque accersit Aceſtem:
Et Iovis imperium & cari præcepta parentis

Edocet;

Edocet; & quæ nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis; nec jussa recusat Acestes.
Transcribunt urbi matres; populumque volentem
Deponunt; animos nil magnæ laudis egenteis.
* . * .
Interea Aeneas urbem designat aratro;
Sortiturque domos. hoc Ilium, & hæc loca Troiæ
Esse jubet. gaudet regno Troianus Acestes:
Indicitq. forum, & patribus dat jura vocatis.
Tunc vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Thucydides, antiquissimus rerum auctor, ita scribit lib. VI: Τ'λίῳ δὲ ἁλισκομένῳ, τῶν Τρώων τινὲς, Δ]αφυγόντες Α'χαιὲς, πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν Σικελίαν. καὶ ὁμοροι τοῖς Σικανοῖς ἐνήσαντες, ξύμπαντες μὲν Ε'λυμοι ἐκλήθησαν· πόλεις δ' αὐτῶν Ε'ρυξ Ϲ Ε'γεστα. προσξυῳκήσαν δὲ αὐτοῖς Ϲ Φωκέων τινὲς, τῶν ὑπὸ Τροίας τότε χειμῶνι ἐς Λιβύην πρῶτον, ἔπειτα ἐς Σικελίαν ἀπ' αὐτῆς κατενεχθέντες. Id est: *Ilio capto, quidam Troianorum, Achæos fugientes, navibus in Siciliam adpulerunt. locatisque juxta Sicanos sedibus, in universum uno nomine Elymi adpellati sunt. urbesque eorum fuêre Eryx & Egesta. His mox alii coloni accesserunt, Phocensium nonnulli: eorum scilicet, qui tunc ab Troiâ in Africam primùm tempestate delati, mox inde in Siciliam transmisêre.* En, quàm disertè *Phocensèis* ait fuisse Thucydides, antiquissimus simul & gravissimus scriptor, quos alii auctores Troianos ducemque eorum Aeneam faciunt. Atque hoc sanè multo credibilius, quàm illud de Troianarum mulierum facinore; vel etiam, quod ipse conjecit Dionysius, sponte illic quosdam reliquisse è suo comitatu Aeneam. quid enim ille partem classis suæ in medio itineris cursu relinqueret, novas sedeis quærens: quas non nisi vi armisque sese obtenturum sperare poterat. Egestem urbis Egestæ conditorem quamvis non memorat Thucydides; eumdem tamen fuisse non negat. Sed *templum Aeneæ* apud Aegestanos fuisse dicatum, docet Dionysius, superioribus continuans ista: Τεκμήρια δ' τῆς εἰς Σικελὲς Αἰνείᾳ τε καὶ Τρώων ἀφίξεως πολλὰ μὲν Ϲ ἄλλα, πεῖσαι ἔστιν δὲ τῆς Αἰνειάδου Α'φροδίτης ὁ βωμὸς ὃν τῇ κορυφῇ Ε'ρυκος ἱδρυμένος, καὶ ἱερὸν Αἰνείᾳ ἱδρυμένον ἐν Αἰγέστῃ· τὸν μὲν αὐτὸ καθασκευάσαντο Αἰνείᾳ τῇ μητρὶ· τὰ δὲ ἱερὰ τῶν ὑποληφθέντων ὑπὸ Ε' λλήνων, τῇ μνήμῃ Ε' σώσαντο σφᾶς ἀναθήματα ποιησάμενοι. τὸ μὲν δὴ ζῷον Ε'λύμῳ καὶ Αἰγέστῃ Τρωϊκὸν ἐν τάφοις κατέμενε τοῖς χωρίοις, Ϲ διετέλεσαν Ε'λυμοι καλούμενοι. πόθεν γὰρ ἂν τὴν ἀξίωσιν Ε'λυμος, ὑπὸ Ε' βασιλικῶν ὢν. Id est: *Documenta adventus Aeneæ & Troianorum in Siciliam cum multa alia, tùm hæc sunt omnium luculentissima; nempe ara Veneris Aeneiæ, in vertice Erycis posita: & apud Aegestanos templum Aeneæ dicatum. quorum illa ab ipso Aeneâ matri erecta fuit: hoc in memoriam servatori suo dicatum ab iis, qui è classe illic relicti erant. Hæ igitur fuerunt sedes Troianorum, qui cum Elymo & Aegesto profugerunt. adpellatique sunt in universum Elymi; quod huius propter regium genus maior esset dignatio.* Luculentissima ista omnium quæ videbantur Dionysio documenta, satis erant infirma ac lubrica. potuit quidpe istorum Troianorum, qui cum Elymo Aegestoque in Siciliam profecti, salutis ac fugæ auctor fuisse Aeneas, licèt ipse in Siciliam non pervenerit. sic enim Livius initio historiarum suarum: *Iam primùm omnium satis constat, Troiâ captâ, in cæteros sævitum esse Troianos: duobus Aeneâ Antenoreque, & vetusti jure hospitii, & quia pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse.* Cum Aeneâ igitur potuerunt evasisse Elymus Aegestusque: qui, mox ab eius classe separati, in Siciliam adpulerunt; ibique opido de Aegesti nomine condito, ARAM SERVATORI AENEAE statuerunt. Erycis verò conditor quàm varius atque diversus etiam antiquissimis mortalibus creditus sit, suprà perspectum est. Sanè, si quid vetustis narrationibus de Troianâ expeditione credendum, nihil probabilius est, quàm, uti junctim Elymus & Aegestus ex unâ Troiâ in Siciliam pervenerunt, sic eos simul junctis consilio & ope condidisse urbeis treis, *Aegestam, Erycem,* atque *Entellam.* ita verò nominis dignitatem inter se partitos esse, uti omneis ab ipsis huc deducti Troiani ex Elymi nomine dicerentur ELYMI; sedes verò utriusque ducis ab Aegesti nomine AEGESTA, sive, ut variare hactenus varios vidimus auctores, EGESTA, & ACESTA. Hinc est, quòd antiquus inter primos poëta Lycophron unum Aegestum τελετῶν ζωοικιστῆρα καὶ κλισίων τόπων vocat, id est, *trium fundatorem conditoremque locorum.* quorum nomina commen-

commentator eius refert, *Aegestam, Erycem,* & *Entallam:* ex quibus ipse poëta nominat *Aegestam:* scilicet, quia hæc caput erat reliquarum, & sedes ipsius ducis; qui unà secum adduxerat in eamdem sedem spurium Anchisæ filium Elymum. Hinc item est, quòd è diverso trium dictarum urbium origo uni adscribitur Elymo ab Servio ac Pomponio Sabino: qui id haud dubiè & ipsi ex antiquissimorum quorumdam scriptorum habuêre monumentis. nam Thucydides quoque unum dumtaxat memorat Elymum, ducem eorum Troianorum, qui, in universum Elymi dicti, Erycem & Egestam incoluêre urbeis. Apud Servium equidem pro Eryce nominatur *Asca* nescio quod vocabulum. sed falsum vel corruptum id esse, haud dubitaverim; quando omnes reliqui scriptores in ternario illo urbium numero habent Erycem; nec illud *Asca* ulli alii in Siciliâ memoratum. Erycem verò sub Aegesti fuisse ditione, Virgilius quoque satis clarè innuit, dicto Aeneid. lib. v, his versibus:

Interea Aeneas urbem designat aratro;
Sortiturq; domos: hoc Ilium, & hæc loca Troiæ
Esse jubet. gaudet regno Troianus Aceste:
Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.
Tunc vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Hinc etiam posterioribus temporibus in rebus sub Tiberio imperatore gestis ita Tacitus dicto Annal. lib. IIII: *Segestani ædem Veneris montem apud Erycem, vetustate delapsam, restaurari postulavêre.* Sed de conditoribus Aegestæ sat dictum. Nunc situs quoque eius aperiendus. Itineraria sic habent:

Antonini;		Tabulæ;	
Drepanis		*Drepanis*	
Aquis Segestanis, sive Pincianis	XIIII.	*Segesta*	XIIII
Parthenico	XII.		
Hyccara	VIII.		
Panormo	XVI.	*Panormo*	XXXVI.

Strabo, lib. VI: Ἐκ δ' Ἱμέρας πλεμεῖ εἰς Πάνορμον μίλια λέ. βʹ δὲ λʹ εἰς τὸ τῶν Αἰγεσταίων ἐμπορεῖον. λοιπὰ δὲ εἰς Λιλυβαῖον ληʹ. Id est: *Ab Himerâ flumine ad Panormum millia sunt* XXXV. *inde ad Aegestensium emporium* XXXII. *reliqua hinc ad Lilybæum sunt* XXXVIII. Diodorus lib. IIII, de Hercule loquens: Μετὰ δὲ ταῦτα βαλόμενος ἐγκυκλωθῆναι πᾶσαν Σικελίαν, ἐπιεῖτο τὴν πορείαν ἀπὸ Πελωριάδος ἐπὶ τὸν Ἔρυκα. διεξιόντος δ' αὐτοῦ τὴν παραλίαν τῆς νήσου, μυθολογοῦσι τὰς νύμφας αὐξῆναι θερμὰ λουτρὰ πρὸς τὴν ἀνάπαυσιν τοῦ κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν ἡμοιμένης αὐτοῦ κακοπαθείας. τούτων δὲ ὄντων διπλῶν, τὰ μὲν Ἱμεραῖα, τὰ δὲ Ἐγεσταῖα προσαγορεύεται, τὴν ὀνομασίαν ἔχοντα παρὰ τῶν ἀπὸ τῶν τόπων. Hoc est: *Post hæc totam ambire Siciliam cupiens, à Peloriade ad Erycem iter intendit. Litus verò ipso peragrante, calidas à nymphis balneas ferunt apertas fuisse, quibus contractam ex itinere lassitudinem adlevaret. Binæ quum sint, alteræ Himerenses, Egestanæ alteræ, ab suis locis dictæ sunt.* Strabo dicto lib. VI posteà: Θερμῶν ὑδάτων ἐκβολαὶ κατὰ πολλοὺς ἔχουσι τόπους ἡ νῆσος· ὧν τὰ μὲν Σελινούντια [ἃ τὰ] κατὰ Ἱμέραν ἁλμυρά ἐστι, τὰ δὲ Αἰγεσταῖα πίνιμα. Id est: *Multis locis in hac insulâ calidæ erumpunt aquæ. quarum Selinuntiæ & Himerenses salsæ sunt, Aegestanæ potabiles.* Plinius, lib. XXXI, cap. VI: *Nec verò omnes, quæ sint calidæ, medicatas esse, credendum; sicut in Egestâ Siciliæ.* Solinus, cap. XI: *Fluminum miracula abundè varia sunt. Dianam, qui ad Camarinam fluit, nisi manus pudicæ hauserit, non coibunt in corpus unum latex vineus & latex aquæ. Apud Segestanos Herbesus in medio flumine subitâ exæstuatione fervet.* Ex his tam claris indiciis facilè erat situm Segestanæ urbis investigare. Igitur Fazellus, Decad. I, lib. VII, cap. III, ita tradit: *A promontorio S. Viti succedit Scopellus, piratarum statio. Emporium Segestanum ad passuum millia* V *sequitur. quod passuum millia* XXXII *à Panormo distare, lib.* VI *scribit Strabo. cuius minima adparent vestigia. Non procul inde Castrum ad mare, opidulum frumentique emporium, distat: à quo sinus ingens hoc tempore nomen suscipit. Crinisius deinde fluvius est, Thucydidi, Diodoro, & Plutarcho: qui à S. Bartholomæo, ab ædiculâ eiusdem nominis, nunc adpellatur. Oritur à duobus capitibus; quorum unum supra Calatafimum surgit; alterum à Stricto soricis & à planitie Habitæ. ex quibus delapsus, Segestam, quam ad lævam relinquit, præterlabitur: ubi Frigidus vocatur. Augetur deindè, primùm ex balneorum Segestanorum aquis; & mox Herbesi æstuantis fontis (qui, Gurgus hodiè nominatus, fluviolum, Calidum adpellatum,*

adpellatum, ſtatim facit, & molas convolvit) congreſſum admittit. & ſic auctus in mare erumpit. Et ſequenti capite: *Imminet Criniſii oſtio & huic oræ ad meridiem paſſuum millibus* V *Segeſta, urbs vetuſta, in colle undique prærupto jacens, Barbara vulgò hodiè dicta. id quod liquidò oſtendunt ſulphureæ aquæ vicinæ, Segeſtanæ à Strabone adpellatæ; Herbeſus fons propinquus, Segeſtanis ortus agris Solino; Criniſius fluvius Plutarcho, qui Fluvius frigidus eſt hodiè, ut diximus; emporium ad oram ſitum, Segeſtanorum à Strabone nuncupatum: ſtupendæ præterea vetuſtiſſimi operis ruinæ. huc accedit, quòd Ptolemæus mediterraneam Segeſtam hoc loci ponit.* Et eodem capite poſteà: *Habet adhuc antiquitatis monumenta viſu digniſſima. urbem enim, quæ adſcenſum habet non difficilem, licet anguſtum & arte elaboratum, ingredientibus, ſtatim theatrum occurrit ſemidirutum. fanum quoque intra mœnia, priſci operis monumentum, quadratis ex lapidibus, teſtudinatum ac integrum prope ſupereſt: quod in divæ Mariæ cultum transabiit. cæteraque urbis omnia magnis lapidibus proſtrata, ac ciſternæ plurimæ adhuc in dirutis domibus adfectæ conſpiciunt. Sub urbis verò mœnibus dextrorſum, antequàm urbem adſcendas, templum eſt maximum, nullâ penè ex parte violatum, tredecim utrimque ſublimibus columnis ſuffultum; in quo nihil præter tectum deſideratur. Numiſmata etiam in urbe paſſim à foſſoribus fabriſq; cæmentariis ſæpenumerò ex ære & argento reperiuntur, Græcâ cum inſcriptione* ΣΕΓΕΣΤΑΝΩΝ. *Scaturigines aquarum ſunt in his agris ſulphureæ, contra varios morbos vim ſecum adferentes. Abſunt ab urbe, ad aquilonem, mare versùs, paſſus circiter mille balneæ: de quibus aquis lib.* VI *in hunc modum Strabo: Calidarum aquarum ſcaturigines habet Sicilia multis in locis. è quibus Selinuntiæ & ad Himeram ſulſæ ſunt; Segeſtanæ verò potabiles. Quòd uſu etiam ſumus experti. aquæ etenim hæ, licèt calidiſſimæ ſint & ſulphureæ; quia tamen ſalis mineram non transeunt, ſicut Selinuntiæ & Himerenſes, ſi refrixerint, potabiles ſunt. Sub his ad jactum fundæ ingens lacus calidus eſt ſulphureus: qui, ſubitâ eructatione æſtuans ac fervens, Herbeſus Solino, à nobis Gurgus hodiè adpellatur.* Non lacus equidem hic ingens, ſed fons magnus eſt. lacum adpellare ſi libeat, exigui epitheton ei addendum erit. Hæc igitur ſigna tam clara atque manifeſta, dictas ruinas, quæ hoc tempore imminutæ ſunt, antiquæ urbis Segeſtæ eſſe reliquias, oſtendunt. His jam adde & Itinerariorum indicium. à Panormo enim ad dictas usque ruinas ſive ad aquas calidas hodiéque numerantur millia paſſuum XXXVI. inde verò Drepanum XXIIII. ubi alterum X in utroque itinerario interiiſſe deprehenditur. Ab opidulo autem ſive emporio, quod vulgari nunc adpellatione eſt *Caſtel à mare*, ad Panormum XXXII circiter ſunt millia; quæ Strabo tradit. quamquàm apud eumdem perperam ſcripta ſint inter dictum emporium & Lilybæum λη', id eſt, XXXVIII; quum re verâ ſint νη', id eſt, LVIII. qui lapſus librario ex facili naſci potuit. AEGESTENSIVM igitur, ſive SEGESTANORVM EMPORIVM nos unà cum Arctio atque Bonfilio & aliis Siculis ſcriptoribus credimus eſſe prædictum Caſtellum ad mare; quia hoc Segeſtanorum flumini, de quo mox plura dicemus, proximum. Fazellus cur id emporium longiùs à fluminis oſtio in locum removerit, ubi *minima adparebant veſtigia*, equidem miror. Apud Ptolemæum ita ſcriptum eſt: EMPORIVM *Segeſtanorum.*

Πάνορμος	λζ		λζ	
Κηταρία	λζ		λς	Ľδ'
Βαθὺς ποταμοῦ ἐκβολαὶ	λζ		λς	γο'
Δρέπανον	λζ		λς	Ľ
Ἐμπόριον Σεγεσταίων	λς	Ľ	λς	Ľ
Αἰγίθαρσος ἄκρα	λς	Ľγ'	λς	δ'
Λιλυβαῖον	λζ		λς	

Hoc eſt:

Panormus	XXXVII		XXXVII	
Cetaria	XXXVII		XXXVI	XLV
Bathys fluvii oſtium	XXXVII		XXXVI	XL
Drepanum	XXXVII		XXXVI	XXX
Emporium Segeſtanorum	XXXVI	XXX	XXXVI	XXX
Aegitharſus promontorium	XXXVI	L	XXXVI	XV
Lilybæum	XXXVII		XXXVI	

In his quum numeri graduum ac ſcrupulorum, Drepano & Segeſtanorum emporio adpoſiti, recto ordine perſcripti ſint; ipſa tamen dictorum duûm locorum vocabula perperam

perperam transpoſita ſunt ab incurioſo imperitoque exſcriptore. Itaque ad hunc modum corrigantur:

Βαθέος ποταμοῦ ἐκβολαὶ	λζ		λς	γο′
Ἐμπόριον Σεγεσταίων	λς		λς	Ⅼ
Δρέπανον	λς	Ⅼ	λς	Ⅼ

Id eſt:

Bathys fluvii oſtium	XXXVII		XXXVI	XL
Emporium Segeſtanorum	XXXVII		XXXVI	XXX
Drepanum	XXXVI	XXX	XXXVI	XXX

Cæterò, quum prædictæ ruinæ haud perinde magno ſparſæ jaceant in dicto colle ambitu; ipſa verò Segeſta, urbs quomdam fuit, ut ex Thucydidis ſimul atque Diodori patet hiſtoriis, opulenta ac potens; &, ut ſuprà demonſtratum, totius Elymorum gentis caput: facilè ego conjecerim, arcis tantùm Segeſtanæ urbis eas eſſe reliquias; ipſam autem urbem ad dictas usque aquas calidas pertigiſſe. quod etiam Plinii Solinique præſcriptis verbis adfirmari videtur: quorum ille dictas aquas *in Egeſtâ*, hic verò Herbeſum fontem *apud Segeſtanos*, non *in Segeſtanis*, ut citat Fazellus, *agris*, fuiſſe tradunt. Atque huc etiam facere videntur Thucydidis & Diodori hiſtoriæ. quorum ille lib. VI, Τοὺς πρόπλους, inquit, ναῦς ἐκ τῆς Ἐγέστης προσέμενον· id eſt; *Præcurſorias ab Egeſtâ naveis præſtolabantur.* Et mox poſteà: Αἱ δ' ἐκ τῆς Ἐγέστης τρεῖς νῆες αἱ πρόπλοι παρεγίγνοντο· id eſt: *Præcurſoriæ naves ab Egeſtâ advenerunt.* Et eodem libro infrà: Δύο μέρη ποιήσαντες τοῦ στρατεύματος, ἔπλεον ζυὼ παντὶ ὅτι Σελινοῦντος καὶ Ἐγέστης. id eſt: *Bifariam diviſo exercitum, cum omnibus copiis ad Selinuntem atque Egeſtam navigabant.* Alterius partis dux erat Nicias. ergo paullo pòſt: Νικίας δὲ ἄνθρωπος ἐξ Ὑκκάρων ὅτι Ἐγέστης παρέπλευσε. hoc eſt: *Nicias ab Hyccaris protinus Egeſtam navigavit.* Contrario hæc ordine narrat Diodorus lib. XIII. Οἱ δ' ἐν Σικελίᾳ, inquit, στρατηγοὶ μὴ τῆς τῶν Ἀθηναίων δυνάμεως παρεπλεύσαντες εἰς Λίγεστα, Ὑκκαρα Σικελικὸν πολισμάδιον εἷλον. hoc eſt: *Qui remanſerant in Siliâ Athenienſium copiarum duces, Aegeſtam navibus pervecti, Hyccara Siculorum opidulum ceperunt.* Niſi fortè Diodorus ipſe ſcripſerit, εἰς Αἰγεσταίαν, id eſt, *in Aegeſtanum agrum.* In lævâ tamen tantùm conſtitiſſe ripâ Aegeſtam, ex eiusdem Diodori lib. XX colligo; ubi ita ſcriptum: Ὁ δὲ Ἀγαθοκλῆς, αἰτιασάμενος τοὺς Αἰγεσταίους ἐπιβεβουλεῦσαι αὐτῷ, δεινοῖς περιέβαλε συμφοραῖς τὴν πόλιν. τοὺς μὲν γὰρ ἀπορωτάτους περαιαγῶν ἐκτὸς τῆς πόλεως, παρὰ τὸν Σκάμανδρον ποταμὸν ἀπέσφαξε· τοὺς δ' δοκοῦντας οὐσίαν κεκτῆσθαι μείζονα, βασανίζων ἠνάγκαζε λέγειν, ὁπόσα ἔχων ἕκαστος τυγχάνει χρήματα. Hoc eſt: *Inſidias ſibi ſtructas Agathocles prætexens, in graviſſimas urbem calamitates demerſit. nam pauperrimum quemque, extra opidum productum, apud Scamandrum amnem mactavit. qui maiores verò poſſidere videbantur facultates, hos tormentorum cruciatibus fateri coëgit, quantum quisque pecuniarum haberet.* Hic ſcilicet ille eſt Σκάμανδρος ποταμὸς, SCAMANDER *fluvius*, qui, lævâ ſuâ ripâ dictas Segeſtæ ruinas & calidas aquas præterlabens, vulgò nunc ſuperiore ſui parte *S. Bartholomæi*, inferiore autem *Frigidus* vocatur. quem falsò hactenus omnes noſtri ſæculi ſcriptores interpretati ſunt Crimiſum; de quo mox poſteà agam. Strabo lib. XIII: Οἱ δ' εἰς Αἴγεστον τὴν Σικελίας φασὶ καταῦραι τὸν Αἰνείαν σὺν Ἐλύμῳ Τρωΐ, καὶ Ἔρυκα καὶ Λιλυβαῖον καταλαβεῖν, καὶ ποταμὸς ἅπαντας Αἴγεστον προσαγορεῦσαι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα. Id eſt: *Quidam verò aiunt ad Aegeſtam Siciliæ trajeciſſe Aeneam cum Elymo Troiano; & occupaſſe Erycem Lilybæumque; amneisq; apud Aegeſtam denominaſſe Scamandrum & Simoenta.* Nempe ab eorumdem nominum fluminibus in priſtinâ patriâ Troade. ſic enim eodem libro anteà: Οἱ δὲ ποταμοὶ, ὅ τε Σκάμανδρος καὶ ὁ Σιμόεις, μικρὸν ἔμπροσθεν ἢ νῦν Ἰλίου συμβάλλουσιν, εἶτ' ὅτι τὸ Σίγειον ἐκδιδόασιν. Id eſt: *Amnes Scamander & Simois paullo ante Ilium, quod nunc eſt, confluunt: atque inde apud Sigeum in mare effunduntur.* Hinc etiam Siciliæ noſtræ Σιμόεις ποταμὸς, SIMOIS *fluvius*, nullus alius eſt exiſtimandus, quàm qui, ab ſuprà commemorato Stricto ſoricis opido profluens, apud Segeſtam dextræ Frigidi amnis ripæ confunditur. Hinc jam illud mulierum Troianarum in Siciliâ apud Virgilium, dicto Aeneid. lib. V:

O patria, & rapti nequidquàm ex hoſte penates!
Nulla ne jam Troiæ dicentur mœnia? nusquàm
Hectoreos amneis Xanthum & Simoënta videbo?

SCAMANDER *fluvius.*

SIMOIS *amnis.*

Et poſteà:

Et posteà:

Intereà Aeneas urbem designat aratro:
Sortiturque domos. hoc Ilium, & hæc loca Troiæ
Esse jubet.

Nempe *Scamander* idem erat & *Xanthus*. Vibius, in Catalogo amnium: *Xanthus: Troiæ, Ilio proximus, ex Idâ monte defluens, Simoënti junctus in Propontidem funditur. hunc Scamandrum incolæ vocaverunt. Xantus & Xanthus scribitur: Flavus Latinè dicitur.* Plutarchus de Fluminibus: Σκάμανδρος, πλησίος ἐστι τῆς Τρωάδος. ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Ξάνθος. Id est: *Scamander, amnis est Troadis; anteà Xanthus dictus.* Aelianus, in Historiæ animalium lib. VIII, cap. XXI: Ὁ δὲ ἐν Τροίᾳ Σκάμανδρος ἐπεὶ ξάνθας ὄπαφαὶ ποιήσας τὰς ὄϊς, πρὸς τῷ Σκαμάνδρῳ, τῷ ἐξαρχῆς, ἄλλο ὄνομα ἡ τῶν προβάτων φύσις χρόα εἴθετο αὐτῷ τὸν Ξάνθον. Id est: *Ad Troiam Scamander ex aquâ suâ potantes oves flavas efficit. ex quo factum, ut huic, qui initio Scamander nominabatur, aliud deinde nomen adventitius ovium color Xanthum imposuerit.* Sed duos istos amnes, Scamandrum atque Simoënta, à dictis auctoribus apud Aegestam urbem memoratos, vel non observavit omnino, vel dissimulavit Fazellus, in præscriptâ urbis topographiâ. posteà verò in rebus gestis Sicilien sibus Decad. II. lib. IIII, cap. I, Scamandrum commemorat, ex Diodori scilicet præscriptâ de Agathocle historiâ; sed quinam ille hodiè sit, non addit.

Porrò Aelianus, Var. historiar. lib. II, cap. XXXIII, ita scribit: Ἐν Σικελίᾳ Συρακόσιοι μὲν τὸν Ἄναπον ἀνδρὶ εἰκασαν, πρὸς δὲ Κυανίλῃ πηγῇ γυναικὸς εἰκόνι ἐτίμησαν. Αἰγεσταῖοι δὲ τὸν Πόρπακα καὶ τὸν Κεμισσὸν ἀνδρῶν εἴδει τιμῶσιν. Id est: *In Siciliâ Syracusani Anapum viro adsimilarunt; Cyanen verò fontem ut feminam coluerunt: Aegestani autem Porpacem, Crimissum, & Telmissum virorum specie venerantur.* Ex Solini cap. XI ista adduximus paullo antè: *Apud Segestanos Herbesus in medio flumine subitâ exæstuatione fervet.* Ad quæ ita commentator eius Martinus Antonius Delrius: *Membranæ continent Helbesus. fortè, Erbessus, ut Græci.* Id nescio unde conjecerit, nisi ex vocabulo opidi, quod dicebatur Ἔρβησσος. at hoc longè ab Segestanorum disitum fuit finibus: nec fluvius in Siciliâ eo nomine fuit ullus. Ego ex illo *Helbesus*, scriptum Solino fuisse THERMESSVS suspicor; eumdemque esse fluvium, qui Τελμισσὸς, *Telmissus*, dicitur Aeliano. apud quem & ipsum fortè genuina vox Θερμησσὸς, quæ ab aquarum fervore deducta fuerit, posteà ab malè curioso librario vitiata est in prædictam Τελμισσός. Sic scilicet Pisidiæ olim insignis urbs, apud Strabonem lib. XII legitur Τερμεσσὸς, lib. XIII Τερμησσὸς, lib. XIIII Τερμισσός· & hoc etiam modo apud Stephani epitomatorem. apud Diodorum verò unico σ ter Τερμησός· apud Ptolemæum Τερμησσός· & in nonnullis exemplaribus, Τελμεσσός. apud Arrianum quoque Expedit. Alexandr. lib. I, modò Τερμισσὸς, modò Τελμισσός. apud Livium eadem lib. XXXVII *Telmessus*, libro verò XXXVIII *Termessus*. quum verum germanumque eius vocabulum ab initio fuerit Θερμησσὸς, *Thermessus*. unde *Thermenses maiores Pisidæ* sæpius nominantur in antiquissimâ tabulâ æneâ, cuius typum refert doctissimus Gruterus in opere Inscriptionum antiquarum. Id vocabulum postmodò factum Τερμησσὸς, *Termessus*. quo nomine etiam fluvius apud Bœotiæ montem Heliconem memoratur Orpheo in Argonauticis, ac Pausaniæ in Bœoticis. Ad eumdem igitur modum Siciliæ ille *Calidus fluvius*, Græcis Θερμησσὸς dictus ac Θερμησὸς, mox factus est Τερμησσὸς, ac Τερμησός· posteà Τερμισσός· & tandem Τελμησσὸς ac Τελμισσός. Vnde Latinè etiam scriptum vocabulum primò fuit *Thermessus*. ex quo quum deinde fieret *Thermesus* & *Thelmesus*; tandem, extritâ primâ literâ *T* & vitiato *m* in *b*, factum est *Herbesus*, & *Helbesus*. Occasionem autem variandi ista duo in Siciliâ ac Pisidiâ vocabula exscriptoribus præbuisse videtur consimile vocabulum in opido maritimo Lyciæ; quod Ptolemæo Græcis literis scribitur Τελμησσὸς, Plinio autem, lib. V, cap. XXVII, unà cum amne ter memoratur *Telmessus*.

THERMESSVS *fluvius.*

Cæterùm ὁ Πόρπαξ, PORPAX, qui fuerit ille Aeliani in iisdem Aegestanorum agris *fluvius*, minimè liquet. quamquàm Thomas Fazellus, dictæ decad. I, lib. VII, cap. IIII, ipsas eum interpretatur calidas aquas; quæ, in eumdem cum Termesso defluentes Scamandrum, olim dicebantur, ut suprà ostensum, Αἰγεσταῖα ὕδατα, id est,

PORPAX *amnis.*

SEGESTANAE *aquæ; quæ &* PINCIAE.

AEGESTANAE sive SEGESTANAE AQVAE. Eædem unde posteà PINCIAE dictæ sint, incertum est.

Cæterùm urbs ipsa Segesta quum è florentissimis Siciliæ urbibus semper una fuisset, multaque bella cum finitimis Selinuntiis, potente itidem civitate, gessisset; Agathocles tandem, Syracusanorum tyrannus, omneis eius incolas excîdit; novisque cultoribus contributis, novum etiam nomen ferre eam voluit; ut auctor est Diodorus, prædicto lib. xx. Verba eius historiæ postrema hæc sunt: Η' μὲν οὖν Αἴγεστα τυχεῖσα μιᾶς ἡμέρας ἀτυχεῖς ἠβηδὸν ἐθανατώθη. τῆς δὲ πόλεως ὑδὲ τὴν προσηγορίαν ἀπολιπὼν ὁ Ἀγαθοκλῆς, ἀλλὰ Δικαιόπολιν μετονομάσας, ἔδωκεν οἰκητήριον τοῖς αὐτομόλοις. Id est: *Sic igitur Aegesta, calamitosissima unius diei vexatione, cum omni hominum flore ad internecionem interiit. Quin urbs ipsa ne nomen retineret, Dicæopolim mutato vocabulo appellavit Agathocles; transfugisque habitandam concessit.* Factum hoc Olympiadis CXVIII anno II, Athenis summum gerente magistratum Anaxicrate; ante natum Christum anno CCCVII. Sed jam antè à Carthaginiensibus deleta fuit. Cicero, in dictâ Verrinâ IIII, suprà scriptis verbis continuat ista: *Hoc quondam opidum, quum illa civitas cum Pœnis suo nomine ac suâ sponte bellaret, à Carthaginiensibus vi captum atque deletum est. Fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ, tùm summâ atque antiquissimâ præditum religione, tùm singulari opere artificioque perfectum. hoc translatum Carthaginem.* Mox: *Aliquot sæculis post P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit. Qua in victoriâ convocatis Siculis omnibus, quòd diutissimè sæpissimèque Siciliam vexatam à Carthaginiensibus cognorat; jubet omnia conquiri: pollicetur, sibi magnæ curæ fore, ut omnia civitatibus, quæ cuiusque fuissent, restituerentur.* Inter bellum Punicum tertium & magistratum Anaxicratis sæculum dumtaxat unum cum dimidio intercessit. Longè igitur ante Agathoclis tempestatem excidium id factum, certum est. Diodorum id nusquàm adnotasse, miror. qui tamen lib. XIII, in rebus Olympiadis XCII anni tertii, quum summum gereret Athenis magistratum Diocles, id est, CCLVIIII annis ante dictum Punicum bellum tertium, Aegestanos socios vocat Carthaginiensium. Sed post Agathoclem etiam, Dicæopolis novo vocabulo abjecto, antiquum nomen iterum obtinuerunt. nam & ipse posteà Diodorus lib. XXIII, ut referunt Eclogæ legationum, in rebus gestis belli Punici primi, quod anno XXIIII ab exitu Agathoclis cœpit, memoravit *Aegestam* opidum, à Romanis obsessum, opidanosque *Aegestanos*: & Cicero, in Verrinâ III, inter *civitates sine fœdere immunes ac liberas Segestam* connumerat. unde Plinius etiam lib. III, *cap.* VIII, *Intus*, inquit, *Latinæ condicionis Centuripini, Netini, Segestani*. Quando tandem omnis interierit, incertum est.

CRIMISVS *amnis.*

Cæterùm ὁ Κρίμισος ποταμὸς, CRIMISVS *amnis*, licet paullo remotior ab Segestâ & orâ maritimâ in mediterraneis fluat; tamen, quia crebra eius in historiâ dictæ urbis facta est mentio: unde etiam ab omnibus hactenus pro eo flumine, quod Segestam prælabitur, habitus est: res poscit, uti & ipse hoc loco indicetur. Sed priùs de nomine eius pauca quædam expediantur. Variè id in variis variorum auctorum exemplaribus conscriptum reperitur. In unius Virgilii eiusque commentatorum exemplaribus nunc *Crimisus*, nunc *Crimnisus*, & alias *Crinisus*, legitur, inconstantissimâ scripturâ. Servius etiam ad id nominis ita commentatus est: *Hesiona ad Siciliam delata, à Crimiso fluvio, quem Crinisum Virgilius poëticâ licentiâ vocat, compressa, edidit Egestum.* At alia exemplaria habent: *à Crimniso fluvio, quem Crimisum Virgilius vocat:* alia, *à Crimiso, quem Crimnisum Virgilius vocat.* Ita, uti, quid ipse poëta, quidve deinde commentator eius scripserit, haud facilè dijudicare queas. Apud Vibium, in fluminum catalogo ita legitur: *Crunisos, Siciliæ, civitate Atilac.* Apud Hyginum, cap. CCLXXIIII, est *Crinisus*. apud Cornelii Nepotis epitomatorem Aemilium Probum, in vitâ Timoleontis *Crinissum*, & in quibusdam exemplaribus longè corruptius, *Chynissum flumen*. quod apud Plutarchum, in eodem Timoleonte est Κρεμησὸς, *Cremesus*: & apud Diodorum, lib. XVIIII Κρημισὸς, *Cremissus*, & in alio exemplari Κρηνισὸς, *Crenissus*. Apud Lycophronem verò, ut suprà citatum, & eius scholiasten legitur Κρεμισὸς, *Crimissus*: & ita apud Aelianum, dicto lib. II, cap. XXXIII. Verùm ego ex cunctis colligo, verum genuinumque fluvii nomen fuisse ὁ Κρεμισὸς, CRIMISVS: ut habet loco suprà citato Dionysius Halicarnassensis. quod posteà poëtæ fecerunt Κρεμισὸς CRIMISSVS: ut Servius innuit.

innuit. Sic & urbs in Italiâ Straboni lib. VI & Stephano narratur Κέμισα, *Crimisa*: quæ eadem Κέμισσα, *Crimissa*, Lycophroni & Scholiastæ eius Isacio, à Philoctete ad *Crimisum* seu *Crimissum promontorium* in Crotoniensi agro condita. Apud Stephani epitomatorem hæc leguntur: Κέμισα, πόλις Ἰταλίας, πλησίον Κρότωνος καὶ Θουρίου· Λυκόφρων· ἀπὸ Κεμίσης νύμφης. τὸ ἐθνικὸν Κεμισαῖος. καὶ παραλείπεται [deesse videtur, Κέμισος τῆς Σικελίας.] Id est: *Crimisa, opidum Italiæ propè Crotonem ac Thurium: auctore Lycophrone: à Crimisâ nymphâ sic dictum. Gentilitium inde est, Crimisæus. Est & fluvius Crimisus in Siciliâ.* Strabo dicto libro ait Philoctetem misisse, ut suprà memoratum, quosdam cum Aegesto Troiano in Siciliam, qui Aegestam urbem illic condiderunt. Hoc si verum; certè nomen promontorii atque opidi, quod in Italiâ reliquerat, in Siciliam detulit Aegestus; fluminique suæ illic ditionis maximo imposuit. sin falsum; omnis ista fabula ex duûm diversorum locorum uno eodemque nomine contexta est. Verùm de nomine satis. Nunc situm amnis certis documentis indicemus. Plutarchus in vitâ Timoleontis, qui Syracusanis in auxilium contra Carthaginienseis à Corinthiis missus erat, ita scribit: Αὐτὸς μὲν εἰς τὰς Συρακούσας ἐπανῆλθεν τῇ καθιστάσει τῆς πολιτείας παρασκευάζων· τοὺς δὲ περὶ Δείναρχον καὶ Δημάρετον εἰς τὴν τῶν Καρχηδονίων ἐξέπεμψεν ἐπικράτειαν· οἱ πόλεις πολλὰς ἀφίστεντες τῶν βαρβάρων, οὐ μόνον αὐτοῖ σῖτον ἐν ἀφθόνοις, ἀλλὰ καὶ χρήματα παρεσκεύαζον εἰς τὸν πόλεμον ἀπὸ τῶν ἁλισκομένων. ἐν τούτῳ δὲ Καρχηδόνιοι καθαπλέυσιν εἰς τὸ Λιλυβαῖον, ἄγοντες ἑπτὰ μυριάδας στρατοῦ, καὶ τριήρεις διακοσίας, καὶ πλοῖα χίλια, κομίζοντα μηχανὰς καὶ τέθριππα καὶ σῖτον ἄφθονον καὶ τὴν ἄλλην παρασκευήν. Ὁ μὲν οὖν Τιμολέων, τοὺς στρατιώτας ὁπλίσας καὶ παραγαγὼν ἡσυχῇ πρὸς τὸν Κέμισον ποταμὸν, ὅπου καὶ τοὺς Καρχηδονίους ἤκουσι ζωγρήσειν. ἀναβαίνοντι δὲ αὐτῷ πρὸς λόφον, ὃν ὑπερβάλλοντες ἔμελλον καταλήψεσθαι τὸ στράτευμα καὶ τὴν δύναμιν τῶν πολεμίων, ἐμβάλλουσιν ἡμίονοι, σέλινα κομίζοντες· καὶ τοῖς στρατιώταις εἰσῆλθε, πονηρὸν εἶναι τὸ σημεῖον, ὅτι τὰ μνήματα τῶν νεκρῶν εἰώθαμεν ὁπλικῶς στεφανοῦν σελίνοις. βουλόμενος οὖν αὐτοὺς ἀπαλλάξαι τῆς δεισιδαιμονίας καὶ τὴν ὀλυσελπιδίαν ἀφελεῖν ὁ Τιμολέων, τὸν στέφανον αὐτοῖς ἔφη πρὸ τῆς νίκης κομιζόμενον, αὐτομάτως εἰς τὰς χεῖρας ἥκειν. οἱ γὰρ Κορίνθιοι στεφανοῦσι τοὺς Ἰσθμια νικῶντας, ἱερὸν καὶ πάτριον στέμμα τοῦ σελίνου νομίζοντες. εὐτυχῶν οὖν ὁ Τιμολέων τοῖς στρατιώταις, καὶ λαβὼν τῶν σελίνων, καλεσέψατο πρῶτος αὐτὸς, εἶτα οἱ περὶ αὐτὸν ἡγεμόνες καὶ πλῆθος. τὸ δὲ ἕτερον ἡσυχίον θέρος εἶχεν ὥραν, καὶ λήγοντι μηνὶ Θαργηλιῶνι, πρὸς τὰς τροπὰς ἤδη συνῆπτεν τὸν κρύον. ὁμίχλη οὖν τοῦ ποταμοῦ πολλὴ ἀναδιδόντος, πρῶτον μὲν ἀπεκρύπτετο ζόφῳ τὸ πεδίον, καὶ ζωσθὲν οὐδὲν ἦν δῆλον τῶν πολεμίων, πλὴν ἠχή τις ἄκρατος καὶ συμμιγὴς ἄνω πρὸς τὸν λόφον ἐχώρει προσωθεῖν αἰσθομένης στρατιᾶς τοσούτης. ὡς δὲ ἀναβάντες ἦλθον τὸν λόφον ἔσχασαν οἱ Κορίνθιοι, τῶν ὑπὸ πόδας τόπων ἀνακαθειρομένων, ὅ τι Κέμισος ἐξέφαινε, καὶ διαβαίνοντες αὐτὸν ὤφθησαν οἱ πολέμιοι. ὁ μὲν οὖν Τιμολέων, ζωσθὲν, τὸν ποταμὸν αὐτοῖς παρεῖναι, τοῦ πλήθους τῶν πολεμίων ὁπλαβεῖν ὅσοις ἐβούλοιεν αὐτοὶ μάχεσθαι, καὶ τοὺς στρατιώτας καθορᾶν κελεύσας τὴν φάλαγγα τῷ ῥεύματι διαλελυμένην, καὶ τοὺς μὲν ἤδη διαβεβηκότας, τοὺς δὲ μέλλοντας, προσέταξε Δημαρέτῳ λαβόντι τοὺς ἱππεῖς ἐμβαλεῖν εἰς τοὺς Καρχηδονίους. * . * . Committitur hinc prœlium; quo Timoleon superior evasit. * . * . Καὶ γὰρ ὁ Κέμισος ὑπὸ τῶν διαβαινόντων σκληθεὶς, μέγας ἦν τοῖς ὄμβροις ἠυξημένος, καὶ τὸ πεδίον τὸ πρὸ αὐτὸν ὑπὸ πολλοῦ ζωαγκείας καὶ φάρμαγγος ὑποκείμενον, ὀλίμπλατο ῥεύματων ἀ κατὰ πόρον φερομένων, οἷς οἱ Καρχηδόνιοι καλινδέμενοι, χαλεπῶς ἀπήλαυνον. τέλος δὲ ἔχειμῶνος ἐπικειμένου, καὶ τῶν Ἑλλήνων τὴν πρώτην πάξιν αὐτῶν ἀνδρας τετρακοσίους καταβαλόντων, ἐτράπη τὸ πλῆθος εἰς φυγήν. καὶ πολλοὶ μὲν ἐν τῷ πεδίῳ καταλαμβανόμενοι διεφθείροντο, πολλοὺς δὲ ὁ ποταμὸς τοῖς ἐν περαιωμένοις συμπίπτοντας ἐμβάλλων καὶ παραφέρων ὑπέλυεν. * . * . καὶ γὰρ τὸ στρατόπεδον μετὰ τῶν ὑποζυγίων διαβάντες ἔλαβον. Hoc est: *Ipse Timoleon Syracusas rediit; constituendæ reipublicæ operam daturus. Dinarchum verò & Demaretum cum suis militibus in Carthaginiensium dimisit ditionem. qui opida complura receperunt à Barbaris. unde non ipsis modò omnia suppetebant abundè; sed & pecuniam ad bellum ex prædâ conficiebant. Interim Pœni cum exercitu* LXX *millium militum,* CC *triremibus* CIↃ *navibus, quibus tormenta bellica, currus, magnam vim commeatus & alium adparatum portabant, Lilybæum adplicuêre. Itaque Timoleon milites, à se confirmatos, raptim ducebat ad Crimesum amnem: ubi hostem se inventurum, intellexerat. Subeunti collem, quo superato exercitum & copias hostium erant subjectos oculis habituri, occurrunt muli, apium ferentes. id militibus fœdum omen visum est; quia defunctorum sepulcris ferè coronas ex apio imponere solemus. Hos Timoleon uti superstitione solveret, consternationeque liberaret; coronam dixit, ante victo-*

riam ipsis delatam, ultro in manus venire. quidpe Corinthii, sacram arbitrantes atque patriam apii coronam, eâ victores Isthmiorum ludicro coronant. Ita igitur milites adfatus Timoleon, sumsit apium: ac princeps ipse coronam ex eo sibi imposuit: inde tribuni militum; ac tandem ipsa multitudo. Tempestas tunc ineuntis æstatis erat; & præcipite mense Thargelione vergebat jam annus ad solstitium. itaque quum nebulam ingentem amnis edidisset, ea primùm texit caligine campos, & omnem amovit conspectum hostium: tantùm sonus sursum in collem perferebatur incertus & confusus: qui procul excitabatur à tanto exercitu. Vt evaserunt in collem & constiterunt Corinthii; apertis campis subjectis, & Crimesus adparuit, &, qui eum transmittebant, subjecti oculis hostes fuêre. Timoleon, cernens, fluvium ipsis dispensare, ut de hostium numero sumerent, quantâ cum manu dimicare liberet: militibus jussit aciem eorum contemplari, flumine disjectam, & partim transgressos jam, partim transgressuros: simulque Demaretum in Pœnos equitatum immittere jussit. * . * . Committitur hinc prœlium; quo Corinthii superiores. * . * . *Namque Crimesus, cum imbribus jam auctus, tùm transeuntium causâ exundavit; circumjectusq; campus multis subjectus vallibus & lacunis complebatur fluentis non alveo suo decurrentibus; quibus Pœni impediti adflictabantur. Tandem tempestate premente, ac primâ eorum acie, quæ erat* CCCC *militum, à Græcis concisâ, reliqua multitudo in fugam conversa est. Magna vis in campo deprehensi interficiuntur: amnis verò multos, qui in transeunteis adhuc irruebant, impellens & transversos rapiens haurit.* * . * . *Nam flumen transgressi castra quoque cum impedimentis ceperunt.* De eâdem expeditione ita narrat Diodorus lib. XVI: Ἀπορήσαντος δὲ χρημάτων ὁ Τιμολέων εἰς τὰς τῶν ξένων μισθοδοσίας, ἐξαπέστελε τριακοσίους χιλίους μετὰ τῶν ἀξιολογωτάτων ἡγεμόνων εἰς τὴν τῶν Καρχηδονίων ὑπηκοΐτεταν. οὗτοι δὲ πολλὴν χώραν πορθήσαντες, καὶ λαφύρων πλῆθος κομίσαντες, παρέδωκαν τῷ Τιμολέοντι. ὁ δὲ, λαφυροπωλήσας τὴν λείαν, καὶ χρημάτων πλῆθος ἀθροίσας, ἔδωκε τοῖς μισθοφόροις εἰς πλείω χρόνον τοῦ μισθός. ἐκράτησε δὲ καὶ τῆς Ἐντέλλης. Καρχηδόνιοι δὲ, τοῦ καλῶ τὴν Σικελίαν στρατηγὸς ὁρῶντις ἀγωνῶς τὸν πόλεμον διοικοῦντας, ἔκρινναν, ἑπόρως ἀποστέλλειν μεῖζω δυνάμεως μεγάλης. * . * . Καρχηδόνιοι μὲν οὖν μεγάλας παρασκευὰς εἰς τὸν πόλεμον πεποιημένοι, διεβίβασαν τὰς δυνάμεις εἰς τὴν Σικελίαν. εἶχον δὲ σύμπαντας, σὺν τοῖς προϋπάρχουσιν ἐν τῇ νήσῳ, πεζὸς μὲν πλείους τῶν ἑπτακισμυρίων, ἱππεῖς δὲ καὶ ἅρματα καὶ ζυωρίδας οὐκ ἐλάττους τῶν μυρίων, ναῦς δὲ μακρὰς μὲν διακοσίας, φορτηγὸς δὲ, τὰς τοῦ ἵππους τε καὶ βέλη καὶ σῖτον καὶ τἆλλα κομιζούσας, πλείους τῶν χιλίων. Τιμολέων δὲ, πυθόμενος τὸ μέγεθος τῆς τῶν πολεμίων δυνάμεως, οὐ καταπλαγὴς τὰς βαρβάρους, καίπερ εἰς ὀλίγους στρατιώτας ζυνεστελμένος. ἔδοξε δ' αὐτῷ τὸν πρὸς τοῦ Φοίνικας ἀγῶνα συνήσεσθαι καλῶ τὴν τῶν Καρχηδονίων ὑπεροχήν. ἦδη δ' αὐτὸ καλῶ τὴν Ἀκραγαντίνων ὄντος, διαδόξως ἐνέπεσε τῇ στρατιᾷ ταραχὴ καὶ σύσις. * . * . * . αὐτὸς δὲ τὰς ἄλλας τῆς Φιλανθρώπους ἐντυξεις εἰς τὴν προϋπάρχουσαν δύναμιν ἐπικαλεσάμενος, προῆλθε τοὺς πολεμίους, οὐ μακρὰν στρατοπεδευσάς. * . πάντων δὲ καθάπερ ὑπὸ μιᾶς φωνῆ βοώντων ὑπηχεῖσθαι τοῖς βαρβάροις, καὶ καταρχεσθαι τῆς μάχης, καλῶ τύχῃ ὑποζυγίων σάλπιγγα κομιζόντων εἰς τὰς σφαδάς, ὁ Τιμολέων ἔφη δέχεσθαι τὸν οἰωνὸν τῆς νίκης· τὸν γὰρ Ἰσθμιακὸν στέφανον ἐκ σελίνου ζωίστεσθαι. οἱ δὲ στρατιῶται, παραγγείλαντος τοῦ Τιμολέοντος, ἐκ τῶν σελίνων πλέξαντες στεφάνους, καὶ τῆς κεφαλῆς περιθέντες, μετὰ χαρᾶς, ὡς τῶν θεῶν προσημαινόντων αὐτοῖς τὴν νίκην· ὅπερ καὶ ζωίβη ἡγεῖτο. ὁ μὲν γὰρ Τιμολέων, ἐκβαίνας τὴν δυνάμιν, κατέβαινεν ἀπὸ λόφου ὑπὸ τὸν [Κρίμισον] ποταμόν· καὶ μυρίων ἤδη διαβεβηκότων, ἐξ ἐφόδου τάττεις ἐπέρραξε. γενομένης δὲ μάχης καρτερᾶς, καὶ τῶν Ἑλλήνων ὑπερεχόντων τῆς τε ἀρετῆς καὶ τῆς εὐχερείας, πολὺς ἐγίνετο φόνος τῶν βαρβάρων. * . * . τὸ δὲ μέγιστον, λάβρων γενομένων τῶν ὄμβρων, ὁ ποταμὸς βιαιότερον τῷ ῥεύματι καταφερόμενος, πολλοὺς ἐβάπτιζε, καὶ μετὰ τῶν ὅπλων διαφθείρε. * . * . τῶν δὲ Καρχηδονίων οἱ διαφυγόντες τὸν ἐν τῇ μάχῃ κίνδυνον, μόλις εἰς τὸ Λιλυβαῖον διεσώθησαν. Hoc est: *Quum rei nummariæ difficultate premeretur Timoleon; nec esset, unde militi stipendium numeraret;* CIↃ *armatos cum ducibus præstantissimis in Carthaginiensium ditionem excurrere jubet. Hi terras illorum longè latèque populati, pradam, quam inde luculentissimam retulerant, Timoleonti tradunt. qua sub hastâ venundatâ, quum pecuniarum vim magnam coëgisset, ad prolixum inde tempus stipendia conductitiis persolvit. Cæterùm Entellâ quoque potitus est. At Carthaginienses, ignaviter bellum à præfectis suis administrari videntes, alios cum instructis militum copiis mittendos decreverunt.* * . * . *Itaq; Carthaginienses, post magnos belli adparatus, copias trajecerunt. quarum numerus in universum* LXX *peditum millia, cum iis, quos jam antèà in Siciliâ in stativis habebant, excessit. equites verò currusq; bellici cumbigis non pauciores decies mille erant. naves item longæ*

CC, &

cc, & cnerariarum, equos, instrumenta, commeatum, & id genus alia vehentium, plus quàm cio. Timoleon, de tantâ hostilis exercitus magnitudine certior factus, minimè expavit; licèt militum eius numerus in arctum restrictus esset. Commodissimum verò duxit, si bellum in ipsorum Carthaginiensium ditionem transferret. Iamque in Agrigentinum agrum perventum erat, quum subitò ingens in castris tumultus & seditio exoritur. * . * . * . Ipse, reliquis alloquii humanitate ad pristinum benevolentiæ affectum reductis, in hostem, haud procul inde castra habentem, movet. * . Quumque omnes unâ veluti voce exclamarent, impressionem in Barbaros faciendam, pugnamque sine morâ inceptandam esse; fortè accidit, ut apiorum fasciculi ad instruendos thoros à jumentis adportarentur. hoc victoriæ omen amplecti se dixit Timoleon: Isthmiacam enim coronam ex apio texi. quin etiam milites, Timoleonte sic jubente, ex apiis sibi corollas nectunt: hisque capita redimiti, cum gaudio in hostem tendunt; ac si certam dii victoriam portenderent. quod etiam eventus ratum fecit. Timoleon quidpe instructâ acie de collibus quibusdam ad [Crimissum] flumen descendebat. jamque x millia Barbarorum flumen transierant, quum subito eos incursu ipse invasit. Validum inde certamen inhorrescit. in quo virtute manuumque promtitudine superantibus Græcis, funesta Barbarorum editur strages. * . * . Et quod omnium maximum erat; è pluviis immodicè fusis, violentiore tunc impetu amnis decurrens, multos, præsertim qui cum armis ad tranatandum sese in eum abjecerant, demersit. * . * . Qui discrimen pugnæ evaserant, ægrè se Lilybæum receperunt. In vulgatis equidem Diodori exemplaribus nomen amnis, ad quem nobilissima hæc pugna pugnata fuit, abest. at perscripsisse tamen id auctorem, patet ex articulo adjuncto, τὸν ποταμόν. nam anteà nulla alicuius fluminis fit mentio. Apud eumdem auctorem lib. XVIII ita legitur: Καθ' ὃν δὴ χρόνον Τιμολέων ὁ Κορίνθιος, νικήσας πλὴν ὅτι τῷ Κρημισσῷ μάχῃ τοὺς Καρχηδονίους, μετέδωκε τῆς ἐν Συρακούσαις πολιτείας πᾶσι τοῖς βουλομένοις. Id est: Quo tempore Timoleon Corinthius, victis apud Cremissum Carthaginiensibus, civitate Syracusanâ donavit omneis, qui se adgregare vellent. Apud suprà dictum Aemilium Probum in Timoleonte hæc sunt: Dionysio superato, Timoleon maximas copias Carthaginiensium apud Crimisum flumen fugavit. Cæterum ex suprà scriptis Plutarchi Diodorique narrationibus clarè liquidóque patet, Crimisum flumen fuisse unum ex maioribus Siciliæ amnibus, inter Lilybæum & Agrigentinum agrum. quæ loca quum tam disertè ab dictis auctoribus nominentur; miror ego, quibus rationibus omnes pariter huius sæculi Siciliæ scriptores inducti, Crimisum eum interpretati sint amnem, qui, apud Segestam fluens, vulgò nunc Frigidus adpellatur, olim autem accolis vocabatur Scamander; testibus, Virgilio, Diodoro, atque Strabone; quos suprà citavi. Certè ex suprà scriptâ Diodori Plutarchique historiâ Crimisus nullus alius esse potest amnis, quàm qui in Panormitano agro ad opidulum Casale Græcorum exorsus, primùm inter opida Scalam Curiæ & Busamarium, mox propter Iatum & Petram longam opida arcemque Calatrasim, & Entellam, qui hodiéque ita vocatur, montem veterisque Entellæ urbis ruinas defluens, tandem in dextram Hypsæ amnis ripam in Selinuntiorum agro effunditur, vulgari nunc & communi cum ipso Hypsâ nomine *Belici* dictus; &, ad discrimen illius, interdum Belicis dexter cognominatus. Diodorus tradit, Timoleontem Entellam Carthaginiensis ditionis opidum eâ expeditione occupasse. id haud dubiè Carthaginienses, cum auctis copiis à Lilybæo profecti, recuperare voluerunt. eò quum iter intenderent; Timoleon contrà eodem & suas movit copias: deprehensosque Carthaginienseis in Crimiso fluvio, prœlio fudit atque fugavit. Apud Vibium igitur, ubi legitur, *Cruniſos, Siciliæ, civitati Atilae*; scribendum esse, *Crimisos, Siciliæ, civitate Atilla*, sive *Atella*: liquidò inde perspicitur. namque *Entellam* aliâ vocabuli formatione etiam *Entallam*, & item *Atallam* dictam fuisse, Lycophronis suprà testatus est scholiastes. Scriptum verò ab ipso fuisse Vibio *Atilla*, facilè crediderim; quando dictus scholiastes ab *Athyllâ*, Aegesti uxore, dictum fuisse opidum innuit. Sed & hoc documentum ad prædicta argumenta accedit, quòd hoc tractu inter Entellam & Selinûntem urbeis tantâ copiâ etiam tunc antiquis temporibus creverit τὸ σέλινον, id est, *apium*, uti etiam flumen inde atque urbs nomen acceperint Σελινοῦς Selinûs; ut suprà intellectum. Quòd igitur veteres illi suprà scripti auctores in Aegesti historiâ Crimisum amnem memorarunt; id nullo modo ad unam Segestam urbem eiusque flumen trahendum est: sed ad

omnem illum agrorum tractum, qui ab Entellâ hinc ad Lilybæum & Drepana, illinc ad Segestam protenditur. quem ille nobilis Troianus, sive Crimisus sive alio nomine, cum Phœnodamantis filiabus à Troiâ in has insulæ oras profectus, incoluit, antequàm Aegestus cum Elymo treis prædictas in eo urbeis conderet.

BATHYS *sive* IATIS *amnis.*

Porrò litus ab Segestâ ad Panormum usque apud Ptolemæum descriptum fuit hoc modo: Ἐμπόριον Σεγεσταίων, Βαθύς ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Κητήρια, Πάνορμος. Id est: *Emporium Segestanorum, Bathys fluvii ostium, Cetaria, Panormus.* Ex his ὁ Βαθὺς ποταμὸς, BATHYS *fluvius* extra controversiam is est, qui vulgari nunc vocabulo accolis dicitur *Iati.* Nomen illud Græcum Βαθὺς, quod *Profundum* Latinè notat, à re ipsâ inditum ei esse poterat, quia altis & abruptis in saxeo solo est ripis. verùm mirum tamen fuerit, nì verum eius olim nomen fuerit idem quod etiamnunc obtinet, Ἴατις IATIS, sive Ἄθις IATHIS: quandoquidem ab monte profluit, cui unà cum superstructo opido vocabulum etiamnunc est *Iati:* quod opidum, ut suo loco latiùs ostendam, Philisto apud Stephanum dicitur Ἴετα, & Silio Latino ore *Ietas.* unde Diodoro ac Plinio opidani sunt Ἰητῖνοι, *Ietini.* Ac licet apud Stephanum & in Eclogis legationum ex Diodori historiâ id vocabulum per brevem scriptum sit vocalem ε, tamen aliis etiam scriptum fuisse per η longam vocalem Ἴητας, Silius testis fuerit, lib. XIIII, hoc versu: *Sidonios Arbela ferox & celsus Ietas.*

Quamquàm & in *Arbela* vocalis media heic producatur, quæ Græcis auctoribus est ε, ut suo loco ostendetur.

CETARIA *opidum.*

Τὰ Κητήρια πόλις, CETARIA *opidum*, inter Bathyn quidem fluvium & Panormum ponitur à Ptolemæo eo situ, cui antiqui cuiusdam opidi ruinæ, quæ vulgò nunc dicuntur *Palamita,* omnibus partibus ac numeris conveniunt. at quia heic *Parthenicum* opidum olim fuisse, certis ex documentis deprehendo; meritò Fazelli accesserim sententiæ, qui *Cetariam* inter Segestanorum emporium & promontorium S. Viti fuisse censet, ubi antiqui opidi quædam vestigia cum speculâ vulgò nunc incolis dicuntur *Scupello.* heic quidpe hodiéque τὸ κήτη, *cete*, sive *thunni*, magnâ capiuntur copiâ, ac sale condiuntur. unde olim loco nomen à Romanis Latinâ lingvâ impositum. *Cetariæ* enim, sive *Cetaria*, dicebantur illis lacus sive stagna marina, in quibus τὰ κήτη, id est, omnis generis maiores pisces marini, maximè verò thunni, capiebantur, juxtáque saliebantur. Horatius, Satyrâ v, libri II:

Plures adnabunt thunni, & cetaria crescent.

Plinius, lib. XXXI, cap. VIII: *Nunc* [*garum*] *è scombro pisce laudatissimum in Carthaginis Spartariæ cetariis.* Et lib. XXXVII, cap. V: *Ferunt in eâ insulâ tumulo reguli Hermiæ juxta cetarias marmoreo leoni fuisse inditos oculos ex smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi instrumenta refugerent thynni: diu mirantibus novitatem piscatoribus; donec mutavêre oculis gemmas.* Huiusmodi igitur *Cetariæ*, sive neutro genere, quo Ptolemæus heic Latino usuest in Romanorum provinciâ vocabulo, τὰ Κητήρια, *Cetaria*, jam olim fuêre in prædicto loco, qui vulgò nunc adpellatur *Scupello.*

PARTHENICVM *opidum.*

Suprà dictus igitur locus, vulgò nunc *Palamita* dictus, antiqui illius habet ruinas opidi, quod Antonini itinerario dicitur PARTHENICVM. erravitque haud modicè Fazellus, *Elymam* nescio quam urbem heic statuens. Verba eius Decadis primæ, libri septimi, capite V, hæc leguntur: *Ab Iati faucibus passuum millia* III *S. Cataldi turris specula, ab ædiculâ eiusdem nominis adpellationem habens, occurrit: & juxta eam fluvii, divi eiusdem titulo inscripti, ostium. ubi sinum maris pisculentissimi capacissimum, atque in eius interiori recessu loco prominentiori arcis vetustissimæ, quondam ad maris litorisque custodiam exstructæ, magna ex quadratis lapidibus habet vestigia. juxta quæ multi specus, habitationi idonei, fenestellis quibusdam in mare despiciunt: in quibus, veri simile est, speculatores olim observatoresque navium hostilium, quas & ex his locis, si necessitas postularet, facillimè offendere poterant, habitasse. & non procul inde, nisi passus* 10, *ad meridiem fons est ingens, agrum adjacentem irrigans, & in mare fluens; quem Aquam regis vocant: cui & turris superimposita, & vetustate & industriâ, nominis quoque perpetuitate regem conditorem præ se fert. agri præterea vicini, frumenti, vini, oleiq, sunt feracissimi, & pluribus permagnis fontibus ibi scaturientibus irrigui. Imminet huic sinui duobus à mari passuum millibus mons arduus, excelsus, præruptus, atque unico ad orientem ac mediterranea adscensu tutissimo & paucissimi præsidii indigo difficillimus. in cuius vertice planities est mille fermè passuum: cuius totum ambitum ingentes magnæ urbis & prostratarum*

ædium

ædium ruinæ, lapides immensi, tegulæ lateritiæ inauditæ crassitudinis, vasa fictilia antiquissimæ inusitatæque formæ, ac pro singulis liminibus singulæ ferè cisternæ, qualeis & in Eryce & in Segestâ urbibus notavimus, sparsim & confusè occupant. ad angulum urbis, qui mari & zephyri flatibus prominet, magnæ arcis dirutæ, cisternarum, ædiumque, ac murorum ingentium vasta cernuntur monumenta. ingressum quoque eius, mœnium, amplissima quondam murorum compagine lapidumque quadratorum fabricâ insurgentium, magna fragmenta impediunt. pro mœnibus quoque jacentium domorum murique, quo sepiebantur, reliquiæ, suburbium aut pomarium benè constitutæ ac populosæ civitatis exstitisse, declarant: quam Alymiten, sive Palymiten, vulgò hodiè vocant. Hanc urbem nominis penè solius viciniâ Elymam Troianorum urbem fuisse, licèt satis ex se probetur, aliæ tamen non desunt rationes plureis efficacioreisque, quibus id hucusque Siculis ignoratum confirmem. Primùm enim, Elymam his agris stetisse, Dionysii Alicarnassæi ac Thucydidis auctoritas docet: Thucydidis; qui lib. VI Soloentum, Panormum, & Motyam, finitima Elymis ponit: Dionysii verò; quum Segestam & Elymam in hac regione agrisque conditas scribit. quod utrumque cum descripto à nobis situ munitissimæ respondet. Et tandem, post alia ex historiâ de Elymo & Segesto desumta documenta: *Erat ea urbs, quantum ex ambitu colligitur, bis ferè mille laribus habitata. in qua ad eius verticem Aeneas Veneri aram erexit; ut Dionysius refert.* Aram istam ab Aeneâ matri dicatam fuisse in Erycis montis vertice, nullamque umquàm fuisse Elymam urbem; sed apud Dionysium pro Ἔλυμα, legendum esse Ἔρυκα, documentis suprà in expositione Erycis ostensum est liquidissimis. Thucydides etiam nullius urbis sed gentis Elymorum meminit dicto lib. VI. Verba eius diserta ac plana hæc sunt: *Ἰλίου δὲ ἁλισκομένου, τῶν Τρώων τινὲς διαφυγόντες Ἀχαιοὺς πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν Σικελίαν. καὶ ὅμορροι τῆς Σικανίας οἰκήσαντες, ξύμπαντες μὲν Ἔλυμοι ἐκλήθησαν, πόλεις δ' αὐτῶν Ἔρυξ τε καὶ Ἔγεστα. * * *. Ἐπὶδὴ δὲ οἱ Ἕλληνες πολλοὶ ξὺν θαλάσσαν ἐπεισέπλευσαν, ἐκλιπόντες τὰ πλοῖα [οἱ Φοίνικες,] Μοτύην καὶ Σολόεντα καὶ Πάνορμον ἐγγὺς τῶν Ἐλύμων ᾠκισμένοι, ἐνέμοντο, ξυμμαχίᾳ τε πίστει τῇ τῶν Ἐλύμων, καὶ ὅτι ἐντεῦθεν ἐλάχιστον πλοῦν Καρχηδὼν Σικελίας ἀπέχει.* Id est: *Capto Ilio, quidam Troianorum, Achaos fugientes, navibus in Siciliam adplicuerunt: locatisque juxta Sicanos sedibus, in universum uno nomine Elymi dicti sunt: urbesque eorum fuêre Eryx & Egesta.* Et paullo pòst: *At postquàm permulti Græcorum illuc cum navibus trajecerunt; Phœnices, relictis plerisque, Motyam & Soloenta ac Panormum, positis ibi sedibus, unà incoluerunt; tùm Elymorum freti societate, tùm quia exiguo illinc ad Carthaginem trajectu Sicilia distat.* Ex his verbis nescio quomodò Elymam urbem elicere vel conjicere potuit Fazellus. Elymorum certè mentio in universâ Thucydidis historiâ alia nulla est. Suprà dicta autem veteris urbis in montis vertice rudera nemo umquàm Alymiten adpellaverit, nisi qui unà cum Fazello Elymorum inde nomen extorquere velit. vulgò quidpe incolis dicitur is locus *Palimita*. Ego verò ex situ, antiquum hoc esse illud *Parthenicum*, colligo. sic enim Antonini habet Itinerarium tribus itineribus:

Panormo	*Panormo*		*Ab Yccaris per maritima loca Drepa-*		
Yccaris XVIII.	*Hyccara*	XVI.	*num usque*	M. P. XLVI,	*sic:*
	Parthenico	VIII.	*Parthenico*	XII.	
	Aquis Segestanis	XII.	*Ad Aquas Perticianenses*	XVI.	
	Drepanis	XIIII.	*Drepanis*	XVIII.	

Fazellum ne quis suspicetur intervalla huius oræ ignorasse, ex Decadis eius I, lib. I, cap. I, huc ea adscribam. *A Drepano*, inquit, *ad Aegitharsum promontorium, Caput S. Viti hodiè dictum, millia passuum* XVIII. *à Capite S. Viti ad Castrum ad mare, Segestanum olim emporium,* XVII. *à Castro maris ad arcem S. Cathaldi, quæ Elymæ subest,* XII. *ab Elymâ ad Hyccaram, nunc Carini murum,* XII. *à Carini ad Motyam, portum hodiè Galli,* IX. *à portu Galli ad Panormum totidem.* Vera atque germana esse hæc locorum intervalla, ipse coram didici. In secundo igitur itinere, inter Panormum & Hyccara II millia interierunt, quæ rectè primum iter refert. Inter Hyccara quoque & Parthenicum perperam scripta esse millia VIII, quæ omni numero erant XII, aperto indicio ostendit iter tertium. Ex hoc igitur XII millium numero, qui inter Murum Carinorum & Palamitam, quam Elymam interpretatur Fazellus, hodiéque computatur, manifestissimo documento deprehenditur, dictam Palamitam esse antiquum illud opidum *Parthenicum*. à quo porrò rectè Itinerarium habet ad Aquas Segestanas alia XII millia: quot hodiéque numerantur inter Palamitam & dictas Aquas.

Caterùm ager circa Palamitam etiamnunc vocatur *Parthenicus*; & opidulum in eo vulgò *Sala di Partenico*, in ipsâ viâ situm, qua Panormum itur à Drepanis.

HYCCARA *opidulum.*

Τὰ Ὕκκαρα, HYCCARA, sive singulari numero, τὸ Ὕκκαρον πολισμάϊον, HYCCARUM *opidulum*, memoratur, præter Antonini Itinerarium, Thucydidi, Diodoro, Plutarcho, Athenæo, Synesio, Stephano. Huius epitomator sic habet: Ὕκκαρον, πόλις Σικελίας, ὡς φίλιστος Σικελικῶν πρώτῳ· Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν δευτέρῳ Χρονικῶν πόλιν λέγει αὐτὴν τὰ Ὕκκαρα. μέμνηται τῆς λέξεως καὶ Θουκυδίδης. Ὕκκαρα δὲ πόλισμα ἐστὶ τῆς Σικελίας, ἔνθεν φασὶ ἡρπάσθαι καὶ Λαΐδα τὴν ἑταίραν. Τὸ ἐθνικὸν Ὑκκαρεύς, καὶ κλητικὸν Ὑκκαρικός. Id est: *Hyccarum, opidum Siciliæ: ut auctor est Philistus, rer. Sicular. lib.* I. *at Apollodorus, Chronicor. lib.* II, *urbem ipsam vocat Hyccarà. Meminit præterea & Thucydides huius vocabuli. Hyccara verò opidulum est Siciliæ; ex quo fuisse tradunt Laidem meretricem. Gentilitium est Hyccarensis; & possessivum Hyccaricus.* Synesius, Epist. III: Ἡ γὰρ Λαΐς, ἔφη τὶς ἤδη λεγόντων, ἀνδράποδον ἦν Ὑκκαρικὸν, ὃν Σικελίας ἐνωνημένον. Id est: *Lais, ut à quodam olim proditum est auctore, Hyccaricum erat mancipium, è Siciliâ emtum.* Thucydides lib. VI: Ὁ δὲ Ἀλκιβιάδης, ἤδη φυγὰς ὤν, ὑπὸ πολλῷ ὕστερον ὑπὸ πλοίου ἐπεραιώθη ἐς Πελοπόννησον ἐκ τῆς Θουρίας. οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ἐρήμην δίκῃ θανάτου κατέγνωσαν αὐτόν τε καὶ τῶν μετ' ἐκείνου. Μετὰ δὲ ταῦτα οἱ λοιποὶ τῶν Ἀθηναίων στρατηγοὶ ἐν τῇ Σικελίᾳ, δύο μέρη ποιήσαντες τοῦ στρατεύματος, καὶ λαχόντες ἑκάτερος, ἔπλεον ξὺν παντὶ ὅπῃ Σελινοῦντος ἔστι Ἐγέστης. Παραπλέοντες δὲ ἐν δεξιᾷ τὴν Σικελίαν, τὸ μὲν τὸ πρὸς τὸν Τυρσηνικὸν κόλπον, ἔχον ἐς Ἰμέραν. καὶ ὡς σφίσι ἐδέχοντο αὐτοὺς, παρεκομίζοντο· καὶ ἐν τῷ παράπλῳ αἱροῦσιν Ὕκκαρα, πόλισμα Σικανικὸν μὲν, Ἐγεσταίοις δὲ πολέμιον· ἦν δὲ παραθαλάσσιον. ἔπειτα ἀναδρομὴν ποιησάμενοι τὴν πόλιν παρέδοσαν Ἐγεσταίοις. αὐτοὶ δὲ πάλιν τῷ μὲν πεζῷ ἐχώρουν διὰ τῶν Σικελῶν, ἕως ἀφίκοντο ἐς Κατάνην· οἱ δὲ νῆες παρέπλευσαν τὰ ἀνδράποδα ἄγουσαι. Νικίας δὲ ὁρμηθεὶς ἐξ Ὑκκάρων ὑπὸ Ἐγέστης παραπλεύσας, καὶ ἄλλα χρήματά τε λαβὼν πάλαντα τεττάρων, παρῆν ἐς τὸ στράτευμα. Hoc est: *Nec multo pòst Alcibiades ex Thurino agro navi transmisit in Peloponnesum, jam exsul. quem Athenienses, simulque eos, qui cum illo erant, deserto judicio, capite condemnarunt. Post hæc reliqui duces Athenienssium in Siciliâ, bifariam diviso exercitu, ac sortitò imperantes, cum omnibus copiis Selinûntem navigant atque Egestam. Ac præternavigantes à sinistrâ Siciliam, quà ad Tyrrhenum sinum vergit, ad Himeram adpulerunt. verùm ab Himerensibus quum non reciperentur, ultrà provecti sunt. In præternavigatione ceperunt Hyccara, opidulum maritimum Sicanicum, Egestanis infestum. id, ab se direptum, Egestanis tradiderunt. Ipsi rursus cùm peditatu per Siculos peragrando, Catanam usque pervenêre; navibus, qui prædam portabant, circumeuntibus. At Nicias ab Hyccaris protinus Egestam navigavit. ibi quum rebus constituendis operam dedisset, acceptis triginta talentis, ad exercitum rediit.* De eâdem re ita Diodorus lib. XIII: Οἱ μὲν οὖν Ἀθηναῖοι, παραδόντες δικαστηρίῳ ἕνα τε Ἀλκιβιάδην καὶ τῶν ἄλλων συμφυγόντων τὰ ὀνόματα, δίκην ἐρήμην κατεδίκασαν θανάτου. οἱ δὲ ἐν Σικελίᾳ στρατηγοὶ μετὰ τῆς τῶν Ἀθηναίων δυνάμεως παραπλεύσαντες εἰς Αἴγεσταν, Ὕκκαρα μὲν Σικελικὸν πλισμάτιον ἑλόντες, ἐκ τῶν λαφύρων ζωήραγον ἑκατὸν τάλαντα· κομισάμενοι δὲ καὶ τριάκοντα τάλαντα παρὰ τῶν Αἰγεσταίων, καπέπλευσαν εἰς Κατάνην. Hoc est: *Athenienses, exhibitis judicio Alcibiadis aliorumque, qui simul profugerant, nominibus, indictâ illos causâ, capite damnarunt. At in Siciliâ qui remanserant duces Athenienssium, adsumtis copiis Aegestam navibus pervecti, Hyccara Siculorum opidulum capiunt. è cuius spoliis centum talenta confecêre. Exactis præterea* XXX *talentis ab Aegestanorum civitate, Catanam revecti sunt.* Plutarchus item in Nicià: Ἀποπλεύσαντος δὲ τοῦ Ἀλκιβιάδου μετ' ὀλίγων ἐκ Σικελίας, τὸ πᾶν ἤδη κράτος ὁ Νικίας ἔσχεν. * . * . Καὶ πλοῦς εἰς Κατάνην ἀπῆλθε, περάξας ὀδὲν ἢ κατασκήψαμένου Ὕκκαρα, βαρβαρικὸν χωρίον· ὅθεν λέγεται καὶ Λαΐδα τὴν ἑταίραν ἐπὶ κῶμον, ἐκ τῆς αἰχμαλώτου περθεῖσαν, εἰς Πελοπόννησον κομισθῆναι. Id est: *Vt decesserit ex Siciliâ cum paucis Alcibiades, auctoritas jam penes Niciam omnis erat.* Posteà: *Catanam tandem se recepit; nullâre gestâ, nisi quòd Hyccara, Barbarorum opidulum, excidit. unde Laidem meretricem aiunt, virginem etiam tum, inter captivos fuisse sub hastâ venditam, ac deportatam in Peloponnesum.* Item in Alcibiade: Οὕτω δὴ αὐτοῦ πεισάντος καὶ τῶν βαρβάρων ἀπελθόντων, ἡ Τιμάνδρα τὸν νεκρὸν ἀνείλετο, καὶ τοῖς αὑτῆς φελοναῖσι καὶ περικαλύψασι χιτωνίσκοις, ἐκ τῶν παρόντων ἐκήδωσε λαμπρῶς καὶ φιλοτίμως. ταύτης λέγεται θυγατέρα γενέσθαι Λαΐδα, τὴν Κορινθίαν μὲν προσαγορευθεῖσαν, ἐκ δὲ Ὑκκάρων, Σικελικὴ πολίσματος, αἰχμάλωτον γενομένην. Id est: *Quum ad eum modum cecidisset, & recessissent Barbari; sustulit Timandra cadaver: suisque obvelatum & involutum tunicis, ex præsenti copiâ splendidè & prolixè funeravit. Huius ferunt filiam fuisse Laidem, quæ Corinthia dicta est; quum Hyccaris, Siculorum opidulo, fuerit captiva abducta.* Sed ex hactenus adlatis satis manifestò jam constat, maritimum fuisse locum

Hyccara.

Hyccara. Huc adde quæ Fazellus, Decad. I, lib. VII, cap. VI, tradit his verbis: *Post Elymam Hyccaris, vetus in hac orâ opidum, ad passuum millia* XII *situm, defecit. cuius ruinæ prorsus jacentes adhuc exstant loco Garbolangi vocitato. ubi turris superstructa hodiè est, thynnorumque captura. Perseverat autem prisci nominis id tantummodò vestigium, quòd locus ille Murus Carinis adpellatur: ab antiquo procul dubio derivatum.* Vulgò dicitur incolis *Muro di Carini:* quod haud dubiè anteà dicebant *Muro d' Iccarini*; id est, *Murus Hyccarinorum.* De origine antiqui vocabuli sic refert Athenæus lib. VII: Τίμαιος δ' ἐν τῇ τεσσαιδεκάτῃ τῶν Ἱστοριῶν, φησὶ δὲ Σικελικὸς πολιχνίῳ (λέγω δὲ τῶν Ὑκκάρων) Ἁλαλεγόμῳ, πρεσαγορεύθῃναί φησι τὸ πολίχνιον Ἁλὼ τὸ τὰς πρώτας τῶν ἀνθρώπων ἐλθούσας ὅτι τὸν τόπον, ἰχθῦς εὐρεῖν τὰς καλεμένας ὕκκας, καὶ τότας ἐγκύους, δι' ἃς οἰωνισαμένους Ὑκκαρον ὀνομάσαι τὸ χωρίον. Hoc est: *Timæus, Historiar. lib.* XIII, *de Hyccaris Siciliæ opidulo verba faciens, sic adpellatum id tradit, quòd qui primi mortalium in eum locum venerunt, pisceis reperissent hyccas nomine; eosque prægnanteis. quod augurium & omen sequutos, locum nominasse Hyccarum.*

Porrò AQVAE illæ PERTICIANENSES, Antonino in præscripto itinere memoratæ, incertum est. Iter ita habet:

Ab Yccaris per maritima loca Drepanum usque M. P. XLVI, sic:

Parthenico	XII.
Ad Aquas Perticianenses	XVI.
Drepanis.	XVIII.

Fazelli etiam suprà citata sunt ista: *A Drepano ad Aegitharsum promontorium, Caput S. Viti hodiè dictum, millia passuum* XVIII. *à Capite S. Viti ad Castrum ad mare, Segestanum olim emporium,* XVII. *à Castro maris ad arcem S. Cathaldi, quæ Elymæ subest,* XII. *ab Elymâ ad Hyccaram, nunc Carini murum,* XII. Tres equidem isti apud Antoninum numeri, in unum computati, conficiunt millia XLVI, quæ in capite itineris perscripta sunt. at ipsi huius oræ maritimæ à Muro Carinorum ad Drepanum longitudini, quæ millium est LVIIII, minùs respondent. A Parthenico sive Palimitâ ad Scupellum quum XVII sint millia, & hinc recto itinere per mediterranea Drepanum usque circiter XVIIII; suspicari aliquis possit, ipsum Scupellum antiquorum esse *Aquas Perticianenseis*: eumdemque locum alio nomine dictum fuisse *Cetaria.* verùm aquæ heic sive calidæ sive frigidæ memorabiles planè nullæ sunt: tum totum iter Antoninus *per maritima loca* actum fuisse, disertè in prædicto capite docet. Quapropter suspicandum est, corruptum primò fuisse genuinum numerum inter Parthenicum & Aquas Perticianenseis in XVI: & hinc porrò germanum quoque in capite numerum vitiatum ab imperito correctore in XLVI. Id si concedatur; *Aquæ Perticianenses* fuerint ad suprà dictum promontorium S. Viti; unde millia Drepanum usque numerantur XVIII, quæ Itinerarium habet. Fazellus, Decad. I, lib. VII, cap. III ita scribit: *Promontorium S. Viti etsi nullam hodiè teneat coloniam; puteos tamen exhibet perenneis; & inter duos angulos, in mare procurrenteis, stationem habet navium capacissimam. cui à litore* 10 *passus recedens incubat rupes quædam, à reliquo monte divulsa, Conterrana adpellata. quam urbem olim fuisse & terræ motu disjectam, nullâ auctoritate nulloque signo vulgus prædicat.*

CAP. III.

Panormus urbs cum portu. Erĉta mons & castellum. Orethus & Eleutherus amnes. Solûs opidum. Himera urbs & eiusdem nominis fluvius. Thermæ urbs, sive Aquæ Himerenses. Minervius ager.

IPsa hinc *urbs* ὁ Παίορμος, PANORMVS, Thucydidi, Polybio, Ciceroni, Dioni, Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Frontino, Ptolemæo, duobus Itinerariis Romanis, Procopio, Stephano, ac Scholiastæ Apollonii memorata, vulgò nunc incolis dicitur *Palermo*; omnium totius Siciliæ maxima ac splendidissima; regni caput, ac sedes præsidis, quem Hispaniarum rex huc cum titulo viceregis mittit. Antiquum eius vocabulum compositum est ex duabus vocibus, πάνυ & ὅρμος· quorum illud PANORMVS *opidum.*